BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 D
341

312 1

D. FRANCISCI TOLETI,

SOCIETATIS IESV,

INTRODVCTIO IN DIALECTICAM

Ariſtotelis quinque libris diſtincta.

Succedunt Porphyrij Phœnicei Introductio & Ariſtotelis de Prædicamentis liber.

Additus eſt Index rerum quæ notatu digniores ſunt, antea deſideratus.

[BIBLIOT]ECA NAZ. ROMA [V]ITTORIO EMANUELE



[BIBLIOT]ECA NAZ. [RO]MA [VITTORI]O EMANUELE

LVGDVNI,

IN OFFICINA HVG. A PORTA,

Apud fratres de Gabiano.

M. D. XCII.

CVM PRIVILEGIO.

12 33 D 33

LECTORI S.

INTRODVCTIONES, quas *Iſagogas Græci appellant, cùm in diſciplinis omnibus & artibus, amice Lector, vtiliſſimas eſſe conſtat, tum verò in ea, quæ ab Ariſtotele tradita eſt, diſſerendi doctrina ita certum eſt, vt confirmatione indigere non videatur: nam etſi vir eruditiſſimus omnes eius artis partes accuratiſſimè ſit perſecutus, ac feliciſſimè abſoluerit, vniuerſim tamen (quod negari non poteſt) ita obſcurè plerunque multa ab eo dicuntur, vt niſi ab ijs, qui rem velut in ſumma iam perceperint, facilè intelligi non poſſint. Itaque in omnibus Academijs, quas nouimus toto orbe celebratiſſimas, is mos iam inde ab initio inoleuit, vt Philoſophiæ profeſſores, antequàm Ariſtotelis libros explicandos tyronibus aggrediantur, ijs totius Dialecticæ rudia quædam elementa paucis, quantùm natura rei patitur, & apertis præceptionibus comprehenſa proponant, quò neque ignari omnino harum rerum ad Ariſtotelis lectionem accedant, neque rurſus diutius æquo in his retineantur, quæ ſunt ex ipſo pleniùs poſtea percepturi. Quam quidem conſuetudinem, niſi experientia certiſſima rerum magiſtra compertum fuiſſet optimam eſſe & vtiliſſimam, nunquam tãdiu, tanto omnium doctorum conſenſu, tam frequentes, ac nobiles Academiæ retinuiſſent. Quòd ſi noſtrum hîc iudicium etiam & exemplum aliquid valet, expertus ſum & Romæ hoc anno, & alibi aliàs, cùm hæc eadem profiteremur, magnam ex ea re vtilitatem ad auditores per-*

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN

ueniſſe, quòd morem hunc ſecuti eſſemus. Neque verò illi audiendi ſunt, qui hæc Sophiſtarum eſſe commenta affirmant, quæ Introductionibus huiuſmodi contineri ſolent: nam (vt de cæteris nunc taceam, quæ ſunt à viris doctiſſimis non pauca conſcripta) in hac certè noſtra dedimus operam diligenter, vt nihil niſi ex optimis quibuſque auctoribus Græcis, Latinis, & Arabibus proferremus, quales ſunt inter Græcos quidem Ammonius, Porphyrius, Alexander, Theophraſtus, Magentinus, Pſellus: inter Latinos autem Boëtius, Thomas, Albertus Magnus, Aegidius, & alij plerique: inter Arabes verò Auerroës, Algazeles, Auicenna. Qua in re ſi quid eſt boni (vt fore nos quidem ſperamus) id & Deo laudi, & tibi commodo eſſe vehementer optamus.

Vale.

INTRODVCTIONIS IN DIALECTICAM ARISTOTELIS,

LIBER I.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

De nomine Dialectica.

CAP. I.

DIALECTICA viam oſtendit, & methodũ tradit, qua occulta manifeſtare, confuſa diſcernere, errores repellere, veritatéſque confirmare poſſimus: propterea ante omnem aliã ſcientiam addiſcenda eſt: ipſa enim eſt ianua, qua aperta omnes aperiuntur, & qua clauſa omnes clauduntur: cuius adæquatum obiectum eſt argumentatio, quæ ex ſimplicibus dictionibus ſignificatiuis, quas Terminos vocant, primò componitur: à quibus priùs nobis eſſet incipiendum, cùm ſimplicia priora ſint, niſi aliunde initium capere ſtudentium vtilitas præmoneret, quibus conducibilius multò futurum exiſtimamus, ſi antè, quæ ad ipſam Dialecticam, eiusq; inſtrumenta pertinent, breui compendio tenuerint, vt quid Dialectica ſit, præ aliis omnibus percipientes, modumq; diuidendi, definiendi, & argumentandi edocti, promptiores fiant, faciliusq; per reliqua procedant. Cùm igitur præceptum Ariſtotelis ſit, vt alicuius rei cognitionem indagantes, quid nomen ſignificet, præcognoſcant: nominum enim ſignificatione ignorata, ad rerum contemplationem aſcendi non poteſt: nos autem vt breuem quandam Introductionem ad Dialecticam Ariſt. paremus, quid nomen Dialecticæ ſibi velit, exponamus oportet. Dialectica Græcè idem eſt, ꝙ Latinè diſputatrix, vel diſſertrix, quaſi ars quæ diſputare, & diſſerere doceat: quam Stoici partem Logicæ eſſe exiſtimabant, duas Logicæ facientes partes, alteram inueniendi

argumenta, & rationes, quibus verum à falſo diſcernitur, alteram de inuentis iudicandi; illam Topicam, hanc Dialecticam vocabant. Dialecticorum tamen communis vſus iam nomen Dialecticæ vtrique parti commune fecit: imò Logicæ nomen à Dialecticæ nomine non diſcernunt, præſertim cùm apud Ariſto. talis diſtinctio Dialecticæ & Logicæ non inueniatur. At Logica à λόγῳ dicitur, quod Latinè idem quod ſermo vel ratio eſt, quaſi ſcientia ſermocinalis, vel rationalis, id eſt, quæ verſatur circa rationes, & ſermonem. Vocamus autem rationes, diſcurſus intellectus, quibus verum, vel falſum inquirimus: vnde Logicæ nomen latiùs patet, ſi eius etymologia inſpiciatur, quàm Dialecticæ, cùm Logica etiam Grammaticam, & Rhetoricam, quæ de ſermone ſunt, complectatur: qua parte verò idem quod rationalis eſt, Dialecticæ conueniat, & aliqua ex parte Rhetoricæ, quę etiam ratione vtitur: proinde latiſſimè ſumpta Grammaticam, Rhetoricam & Dialecticam comprehendit. Quod quamuis verum eſt, communiter tamen iam eſt receptum, vt quoties de Logica ſermo fit, idem quod per Dialecticam intelligatur, præſertim apud Dialecticos: vocabula enim peculiariter ſecundum ſubiectam materiam accipienda ſunt.

Quid ſit Dialectica, de eius neceſsitate, materia, fine & officio.

CAP. II.

Artes omnes in hunc finem inuẽtæ ſunt, vt per eas operationes noſtrę, quas per naturam non ita facilè & perfectè præſtare poteramus, abſolutæ & exactæ reddantur, quod in omnibus reperire eſt: homo enim poteſt ſcribere, pingere, luctari, texere, ſed id imperfectè, & non ſine errore: at ſi artem teneat, expeditiùs, & certiùs illa omnia exequetur: vnde ars rectè quicquam faciendi, aut cognoſcẽdi dicitur promptitudo: ex quo factũ eſt, vt cùm multæ in nobis ſint operationes, atq; inter ſe diuerſæ, quas rectè exercere nõ poteramus, plures ad hoc inuentæ ſint artes. Sunt autem in cõmuni tres operationes: quædam exteriores, quæ circa aliquã materiam extra nos verſantur, vt pingere, texere, agros colere. Sunt alię operationes exteriores, quæ tamen non in aliquam extra nos tranſeunt materiã, ſicut loqui, ſermocinari, dicere. Sunt aliæ in tertio genere interiores, ſicut contemplari rerum naturas, cõſiderare, verũ cognoſcere. Ad tres has operationes optimè exercendas multæ ſunt adinuẽtæ artes. Ad operationes exteriores

Ars quid.

riores primi generis, ſunt omnes illæ artes, quæ Mechanicæ dicuntur, vt nemoraria, militaris, nautica, fabrilis. Ad operationes ſecũdi generis ſunt artes, quæ Sermocinales dicuntur, Grammatica ſcilicet, quæ rectè & congruè voces connectere docet. Rhetorica, quæ elegantẽ, ac ſuis numeris abſolutã reddit orationem. Ad operationes verò tertij generis, quædã ars adinuenta eſt, quæ methodum traderet, & viam ſterneret, qua ad perfectam rerum cõtemplationem, & cognitionem venire poſſemus: & hæc Dialectica eſt. Vnde ſicut artes Mechanicas rectè faciẽdi, & operandi artes, Grammaticã congruè loquendi, Rhetoricã rectè dicendi; ita Dialecticam rectè intelligendi iure artem dixeris: non quòd per Dialecticã res ipſas ſciamus, aut cognoſcamus (hoc namque aliarum munus eſt ſcientiarum) ſed quòd Dialectica modum, & methodum præbeat, quibus rectam rerum contemplationem conſequamur, propter quod inſtrumentum, & organũ ſciẽtiarum & modus ſciendi dicitur. Quòd ſi Dialectica etiam circa ſermonẽ verſatur, id non eſt per ſe, niſi quatenus per ſermonem operationes intellectus manifeſtãtur: nec hoc etiã pacto circa quęcunque ſermonem verſatur, ſed circa eum ſolum, quo aliquid verè, vel falsò dicitur De reliquis verò, quæ ad Dialecticã pertinent, dicamus oportet. Experientia enim conſtat, & Ariſt. 7. Politi. c. 4. docet artes habere aliquam materiam, circa quam operentur: ars enim textoria circa filũ, lignaria circa lignum, militaris circa arma verſatur. Eſt etiã cuique arti ſuus finis & officium, quorũ nihil Dialecticæ deeſt. Pro quo aduerte primò, quòd Materia in aliqua arte duplex eſt; quędã propinqua, & proxima, circa quã talis ars verſatur, vt ligna materia ſunt artis lignariæ, fabrilis ferrũ, quia circa hęc tales artes verſantur: altera materia eſt remota, quam ars quidem pręſupponit, non tamen circa eam primò verſatur, quò pacto arbores materia lignariæ artis, remota tamen, ferrũ militaris lana textoriæ dicũtur: quia ſine his materiæ proximæ nõ cõſtãt. Aduertẽ etiam præter hæc in Grãmatica, Rhetorica, & Dialectica duplicem eſſe materiam: alterã propinquam, vt in Grammatica ſunt voces ad congruam connexionẽ aptæ, in Rhetorica ſermo ornatus, & elegãs, in Dialectica verò operationes intellectus, vel ſermo qui tales operationes manifeſtat: alterã autẽ remotã quæ in his tribus artibus eadẽ eſt, nempe res omnes, cum diſcrimine tamen. Grammaticus enim circa res omnes verſatur, de eis congruè loquẽdo, Rhetoricus ornatè dicẽdo, Dialecticus viam oſtendens, qua verè cognoſcantur, & inde

Artes Mechanicæ.
Sermocinales.
Dialectica inuentio.
Dialectica quomodo circa ſermonem verſetur.
Materia artis duplex.
Materia Dialecticæ.

vero ſermone exprimantur, propterea hæ artes communes dicuntur. Ex his apparet finis, & officium Dialectici; finis enim eius eſt methodum oſtendere, qua res verè dignoſci, & ſecerni queant: officium autem ea miniſtrare quibus talis cognitio obtineatur: id autem fit diuidendo, definiendo, & argumentando: officium ergo ipſius definire, diuidere, & argumentari eſt. Inſtrumenta, quæ modi ſciendi dicuntur, ſunt definitio, diuiſio, & argumentatio: de quorum ſingulis introductorio modo nonnulla dicemus. Et primùm de definitione.

Finis & officiū Dialectici.

Quid Definitio, & quotuplex ſit.

CAP. III.

CIRCA definitionem quatuor nobis breuiter conſideranda ſunt Primum, quid ſit definitio. Secūdum, quotuplex ſit. Tertium, quæ ſint leges bonæ definitionis. Quartum, qui modi argumētandi, & loquendi per definitionē Circa primū aduerte, Ariſt. 1. Top. c. 4. id quod nos definitionem vocamus, terminū, vocare, tranſlatione ſumpta à termino, & limite, quo agri, vel areæ circunſcribuntur: vt enim totum quod illius eſt areæ, intra talem terminum continetur, nec quicquā areæ eſt extra terminum, nec aliud, quod non ſit areæ, eſt intra: ita illa oratio, quæ omnes partes, quæ ſunt in natura rei, ita explicat vt nihil deficiat, vel redūdet; dicitur terminus. Nos vocamus definitionem quaſi vndiq; circunſcribentē rei naturā. Eſt autē definitio iuxta Ari. 2. Poſt. c. 10. oratio ipſum quod quid eſt ſignificans, ac ſi dixiſſet, eſt oratio, quæ naturā alicuius manifeſtat. In qua definitione duæ ſunt particulæ cōſiderandæ. Altera eſt, quòd ſit oratio, ideſt, aggregatio quædā multarū vocum & nominum: cùm enim naturæ rerum quæ definiuntur, habeant plures partes, neceſſe eſt pluribus manifeſtentur vocibus, vnde vna ſola vox nō eſt definitio. Altera particula eſt, naturā alicuius ſignificans Hoc ponitur ad excludendas orationes multas, quæ definitiones nō ſunt, quia alicuius naturā non manifeſtant: ex quo fit vt iſta ſit definitio, animal rationale, eſt enim oratio, & hominis naturam explicat: at, homo eſt doctus, oratio quidem eſt, definitio verò minimè, nullius enim naturam exprimit. Contra hoc, vnum poſſet argumentum opponi huiuſmodi: Vna vox ſola poteſt ſignificare totā naturam rei: ergo definitio non eſt oratio. Antecedens probatur, Iſta vox homo ſignificat totum hominem, & integram ipſius naturam: ergo vna vox totam rem explicat. Ad hoc reſpondetur dupliciter aliquam rem voce ſignificari, & manifeſtari

Definitio quid.

Obiectio.

Solutio.

niſeſtari poſſe, vno modo diſtinctè, altero modo cõfusè. Hoc exemplo poterit intelligi. Videre quandoque poſſumus imaginem aliquam confusè, cùm totam ſimul conſpicimus, nec magis viſus ad vnam quàm ad aliam partem inclinatur: videmus etiam eandem diſtinctè, cùm ad ſingulas partes oculos conuertimus vel minimam quamque lineam inſpicientes, quod etiam intellectu cõtemplantes aliquando facimus, ita res ſignificatur vna quidem voce confusè tamen, quia per eam tota ſimul repræſentatur: at verò pluribus vocibus eadẽ res ſingulis ſingulas eius partes ſignificantibus diſtinctè ſignificatur. Modò reſpondetur, Definitionem debere ſignificare rem totam non confusè, ſed diſtinctè, propterea debere eſſe orationem: ex quo ſequitur, nomen alicuius rei, & definitionem eiuſdem idem ſignificare, ſed non modo eodẽ, ſed alterum diſtinctè, alterũ confusè: homo enim, & animal rationale eandem rem exprimunt, ſed vox, homo, confusè: definitio verò animal rationale, diſtinctè. Cùm igitur definitio alicuius naturã explicet, fit vt prima diuiſione diuidatur iuxta diuiſionem eius cuius naturã explicat: quod duplex poteſt eſſe, alterum, vox aliqua ſignificatiua, alterũ, res aliqua, vt enim res ipſæ ſuas habent proprias naturas, ita etiã & nomina ſuas ſortiũtur naturas, quę à ſignificatione ſumũtur: vt ſicut homo eſt homo per animã, & corpus, ita & nomẽ nomẽ eſt, quia ex voce & ſignificatione cõponitur. Poſsũt ergo & res, & nomina definiri: vnde exurgit duplex definitio, altera quę dicitur nominis, altera quę dicitur rei. Definitio nominis, quę Interpretatio, & Etymologia aliquando dicitur, eſt oratio nominis ſignificationẽ exponẽs. Hìc autẽ vocamus nomen quãcunque dictionẽ ſignificatiuã. vt magnanimus eſt, qui magnũ habet animum, infinitũ quod non habet finẽ, vacuũ eſt quod caret corpore. Argumento autem eſt, iis definitionibus ſola nomina, nõ res definiri, quòd aliquãdo cõtingat ſimilia nomina fictitiũ quid ſignificare. Multiplex quidẽ huiuſmodi definitio aſſignatur, ſed quia Grammatica eſt potius cõſideratio talis, prætermittitur. Definitio verò rei, eſt oratio rem aliquam explicans, vt animal rationale, quæ hominis naturã manifeſtat.

Nomẽ rei & definitio quomodo differant.

Definitio quo duplex.

Quotuplex ſit Definitio rei.

CAP. IIII.

TRIPLEX eſt definitio rei, quædam eſſentialis, quædam cauſalis, quædam deſcriptiua, ſeu accidẽtaria. Eſſentialis definitio, eſt oratio genus & differentiã alicuius rei continẽs. Vocatur autem genus id, quod naturæ definiti ita competit,

Definitio rei triplex.

vt ſimul etiã de aliis prædicetur: vt in hac hominis definitione, animal rationale, animal genus eſt, quia cũ de natura hominis ſit, etiã de equo, capra, & aliis multis prędicatur. Eſt autẽ differentia, id quod cùm de natura etiam definiti ſit, cũ genere iunctũ ipſum determinat, & coarctat, vt pro ſola re definita ſumatur, ſicut ſe habet in illa eadẽ definitione rationale: eſt enim in ipſa hominis natura, & coarctat genus animal vt nõ equũ, nec aliud pręter hominẽ dicat. Huiuſmodi definitio dicitur Eſſentialis, quia naturam rei per ea quę illi eſſentialia ſunt manifeſtat, eadẽ enim natura, & eſſentia ſunt, nec exactiorẽ modò petas horũ declarationẽ, ſuo enim loco diligentiùs iſta cõſiderãda ſunt. Definitio Cauſalis, eſt oratio rei proprias cauſas manifeſtans. Cauſarum autẽ numerus quadruplex eſt: quędã cauſa eſt materialis, ea nẽpe, ex qua aliquid fit, vt ligna, & lapides, materia ſunt domus, æs ſtatuæ, corpus humanũ ipſius hominis: altera eſt forma, ea ſcilicet, per quam res eſt, & quæ ſimul cũ materia rẽ totam abſoluit, vt anima rationalis hominis eſt forma, & figura ſtatuæ: tertia eſt efficiens, à qua aliud producitur, vt ſol lumẽ producit, ipſius eſt efficiens cauſa, & ignis caloris, & ſutor calcei: quarta eſt cauſa finalis, gratia cuius, ſeu propter quã aliquid fit, vt beatitudo cauſa eſt finalis hominis, ad beatitudinem enim creatus eſt, & ſanitas eſt finis potionis amarę. Ex his igitur cauſis, aut ſingulis aut pluribus aut omnibus Definitiones Cauſales fiunt. Sũt autẽ, quæ per materiã dantur, vt domus eſt ex lapidibus, lignis, & terra, reliquiſq; partib⁹ cõſtructa: zithũ eſt potus ex aqua, hordeo, & lupulo cõfectus. Sub hoc definitionis genere cõprehẽduntur definitiones quibus res artificiatæ per ea ex quibus fiunt, definiuntur. Cõprehẽduntur etiã definitiones, quæ partes rei continent, vt mundus eſt ex cœlo, terraque, & ex naturis quæ intra hęc includuntur, cõſtitutio: corpus humanũ eſt quod ex erecto capite, pectore, manibus, vẽtre, pedibúſq; cõſtat, quas alij vocãt partitiones. Cõprehẽdũtur etiam definitiones accidentiũ, quę per ſubiecta ipſorũ aſſignãtur, vt riſibilitas eſt aptitudo hominis ad ridẽdũ, lumẽ eſt actus diaphani. Secũdum genus Cauſaliũ definitionũ eſt per formam, vt homo eſt animal ex rationali anima conſtãs: ad quod genus illę definitiones reducũtur, quib⁹ cõcreta per abſtracta definimus, vt albũ eſt quod albedine afficitur. Tertiũ genus eſt per efficiẽtẽ cauſam, vt dies eſt latio ſolis ſupra terrã Eclipſis eſt interpoſitio terrę inter ſolẽ, & lunã, tonitruum eſt extinctio ignis in nube. Poſſumus etiã his vti in obliquo dicẽtes, nox eſt priuatio luminis

Differẽtia quid.

Eſſentialis definitio quæ.

Cauſarum quatuor genera.

minis proueniens ex latione ſolis ſub terrã. Quartũ genus eſt per finalẽ cauſam, vt homo eſt aĩal ad ſummi boni perceptionẽ deſtinatũ, domus eſt tegumẽtum ad incõmoditates extrinſecas propulſãdas. Poſſunt etiã definitiones per plures cauſas ſimul aſſignari. Iſta enim quatuor continet cauſas, homo eſt animal ex rationali anima & corpore in æternam beatitudinem à Deo creatum: hæc autem duas, Eclipſis eſt priuatio luminis ex interpoſitione terræ: hæc autem tres, homo animal eſt ex anima & corpore in beatitudinem ordinatum. Hîc autem vnum aduerte, definitiones eas, quæ per materiã & formam aſſignantur, eſſe etiam eſſentiales: materia enim & forma ad rei naturã ſpectant, ipſamq; componunt: vnde dici poſſent eſſentiales. At quia ſimul etiam cauſæ rei ſunt, cauſales dicentur: diſtinctionis gratia ſolent aliqui eas eſſentiales Phyſicas nuncupare, reliquas verò, quæ genere, & differentia conſtant, eſſentiales Metaphyſicas. Tertia definitio eſt accidentaria, quæ non quid res, ſed potiùs qualis ſit, ſignificat. Hæc autem eſt oratio rem per ſua accidentia manifeſtans. Eſt autem duplex, altera, quę per genus, & accidens proprium, quod illi ſoli rei cõuenit, aſſignatur, vt homo eſt animal riſibile, terra eſt elementum grauiſſimum, ignis elementum leuiſſimum, & hęc propriè dicitur deſcriptio. Ad hanc definitionem reducuntur eæ, quæ dantur per effectus, vt iuſtitia eſt quæ ſuum cuiq; tribuit, ſol eſt autor diurnę lucis, homo eſt animal, quod loqui poteſt. Altera definitio accidentaria eſt, quæ datur per accidentia cõmunia, quorũ ſingula pluribus rebus inſunt, ſimul tamẽ iuncta, nonniſi rei, quæ definitur, vt homo eſt animal bipes, implume, pulchrum, magni cerebri. Ad hoc definitionis genus aliquæ Poëtarũ deſcriptiones reduci poſſent, ſed iſta vlteriùs proſequi non præſentis ſpeculationis eſt, ne introductionis limites extra modum diuagantes trãſiliamus.

De legibus bonæ definitionis, de modo argumentandi, & loquendi circa ipſam definitionem.

CAP. V.

MVLTA quidẽ pręcepta ſunt ad bene definiẽdũ obſeruanda, quę diffusè 6. Top. Ariſt. tradit. ex quib' tria omnibus definitionibus cõmunia in præſenti explicanda eligimus. Primũ igitur præceptũ, ſeu lex eſt, vt definitio clarior ſit definito: cùm enim in hoc ſit inuenta definitio, vt rẽ occultã manifeſtet, oportet vt notior ſit q̃ illud quod definitur: vt hæc definitio, animal à Deo creatũ ad beatitudinem, naturã hominis magis manifeſtat, quàm ſi vnica exprimatur voce, nempe, *Definitionu leges.*

homo

homo. Huic præcepto aduerſantur definitiones illæ,quæ per ignotiora,vel æquè ignota aſsignantur,vt ſi dicas ſomnus eſt imago mortis, mors enim obſcurior eſt ſomno. Aduerſantur etiā quæ idē per idē definiunt, vt ſi dicas,leo eſt animal quod eſt leo. Aduerſantur tandē,quæ vocē metaphoricā habent, vt homo eſt arbor inuerſa. Secūdū præceptum eſt:Definitio debet reciprocari,& conuerti cum definito,id eſt, de quocūque prædicatur definitum,de eodem & definitio prędicari debet, & de quocūque definitio,de eodem & definitū, ita nulli vnū cōpetat cui non & alterū. Huic præcepto aduerſantur,qui ſolùm per cōmunia definiunt,quæ pluribus quàm definito inſunt, vt homo eſt ſubſtantia ſenſibilis. Aduersātur etiā nominū etymologiæ quæ ob id nō ſunt propriè definitiones,cùm pluribus quā definitis cōueniāt,vt Theologus eſt qui de Deo loquitur,lapis eſt quod pedē lædit. Tertiū præceptū eſt, Definitio nihil debet habere ſuperfluum,vel diminutū , ſed ita rē explicare,vt nec deficiat,nec excedat. vnde nō eſt bona definitio,Homo eſt animal rationale,coloratum,bipes:eſt enim ſuperflua,cùm coloratū,& bipes non ſint in natura hominis, nec iſta eſt bona definitio,homo eſt ſubſtantia rationalis, eſt enim diminuta, cùm plura ſint in natura hominis quàm ea, quę in tali definitione actu cōtinētur. Eſt enim homo ſubſtātia corporea,animata,ſenſibilis,rationalis. Hæc sūt præcepta cuilibet bonæ definitioni neceſſaria, ita vt ex vnius defectu vitioſa reddatur definitio:vnde ſi quis velit definitionem aliquā bonā eſſe cōtēdere,omnes ſimul leges illi ineſſe probare tenetur,ac q definitionē vitioſā eſſe cōtēderit,vel vnicā legē deeſſe ſufficiet oſtēdere. Modus argumentandi in definitione duplex eſt admodū vtilis. Alter eſt, vt tā definitū quàm definitio de aliquo pdicetur, & tūc de quocūque affirmatur definitū,affirmabitur & definitio,& de quocūque definitio pariter

Modus argumentandi à Definitione duplex.

1. & definitū. Similiter etiā negatiuè,vt cōcha eſt animal, ergo eſt corpus animatū ſenſibile: & cōtrà,concha eſt corpus animatū ſenſibile,ergo eſt animal: humilitas eſt habitus bonus, ergo eſt virtus:& cōtrà,eſt virtus,ergo eſt habitus bonus. Pariter etiā in negatione, vt,ſimia non eſt animal rationale,ergo non eſt homo:è contrario non eſt homo,ergo nō eſt animal rationale:ſuperbia non eſt habitus bonus , igitur nec eſt

2. virtus,item non eſt virtus,ergo nec habitus bonus. Alter modus argumentandi eſt quādo aliquid de definito, vel de definitione prædicatur,& tunc quod affirmatur de definito,affirmabitur & de definitione,pari ratione quod negatur; & contrà

trà à definitione ad definitum, vt animal rationale eſt capax beatitudinis, ergo & homo, & homo eſt capax beatitudinis, ergo & animal rationale. Negatiuè pariter, vt habitus malus non eſt expetendus, igitur nec vitium: virtus non eſt ſpernenda, ergo nec habitus bonus eſt ſpernendus. Supereſt vt de modo loquendi per definitionem, dicamus. Duplex autem loquendi eſt modus & interroganti, & reſpondenti. Primum, petenti, quæ definitio eſt iſta? Reſponde, vel eſt nominis, vel eſt rei, eſt cauſalis, vel eſſentialis, vel deſcriptiua. Petenti ſecundò, qualis eſt hæc definitio? Reſponde, eſt bona, vel eſt mala. Circa definitum etiam poteſt interrogãs petere, quid eſt hoc, ſcilicet, quid eſt homo vel leo? Cui reſponde per definitionem eſſentialem vel cauſalem. Secundò, quale eſt hoc? Reſponde per accidentariam. Circa definitionem autem nominis ſolet peti, quæ eſt huius nominis ſignificatio? Et reſpondetur per illius ſignificationes. At circa cauſalem ſecundum cauſarum numerum quadruplex fit interrogatio, vt à quo eſt cathedra? Reſponde, per efficientem: ex quo eſt? Reſponde, per materiam: per quid eſt? Reſponde, per formam: propter quid, cauſam finalem petit.

Loquendi modus per definitionem.

Quid Diuiſio, quotuplex, quæ ipſius præcepta ſint.

CAP. VI.

EST alius ſciẽdi modus, qui dicitur Diuiſio, qua vtimur ad totius alicuius partes inueſtigandas: vnde non minimum hæc definitioni prodeſſe ſolet, quę ex partibus cõflatur. Quid igitur ſit Diuiſio, & quotuplex, quæ ipſius leges, quib⁹ modis per Diuiſionẽ argumentari liceat, quis tãdẽ ſit loquendi modus, tractare oportet. Diuiſio, oratio eſt totũ in ſuas partes diſtribuẽs. oratio dicitur: nõ enim diuiſio quæcũq; ad Dialecticũ ſpectat, ſed ea, quæ mẽte, & voce fit, id eſt, cùm rem aliquã ſimul intelligẽtes ſingulas eius partes inueſtigare, & voce exprimere conamur: & propterea diuiſio talis oratio dicitur, aliæ verò diuiſiones, nẽpe, cũ gladio lignum, vel aliud quiduis ſcindimus, Dialecticę nõ ſunt. Eſt igitur Dialectica diuiſio, oratio, qua de toto aliquo loquẽtes ſingulas ei⁹ partes enarramus: quæ diuiſio manifeſtat eã quã intellectu concepimus, vt totũ hoc, bonũ ſcilicet, aſſumentes, in ſingulas ſuas diſtribuimus partes vtile, honeſtũ, & delectabile. In qua oratione duo ſunt: alterũ, totũ illud quod ſecatur in partes & hoc diuiſum dicitur. Alterũ, ipſius enumeratæ partes, & hę mẽbra diuidentia dicuntur. Ex vtroq; autem cõſtituta oratio diuiſio eſt, quæ ſicut & definitio, in diuiſionẽ nominis, & diuiſionẽ rei primò

Diuiſio quid.

Diuiſio duplex.

diuidi

diuidi poteſt. Diuiſio nominis eſt oratio qua vox in ſuas ſignificationes diſtinguitur, vt canis ſignificat ſydus quoddã, ſignificat & animal terreſtre. Hæc diuiſio nominis eſt, non enim res aliqua per eã in ſuas partes diuiditur, ſed ſola vox. Hanc Græci enumerationem vocabant. Tali autem diuiſione non vnam vocem tantùm, ſed & orationem integrã in varios ſenſus quos recipit, diſtinguimus, quas orationes amphibologicas vocant, vt, *aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.* Crœſus Halym ingreſſus perdet quamplurima regna.

Diuiſio triplex. Divisio rei eſt, cùm res aliqua in ſuas partes, vel accidẽtia diſtinguitur, quæ triplex eſt. Prima diuiſio generis in ſpe-
1. cies. Hæc autẽ eſt, cùm cõmune aliquod in minus cõmunia, de quibus per ſe prædicatur, diuiditur, vt. Elementorũ aliud ignis, aliud aër, aliud aqua, aliud terra. Hæc autẽ diuiſio fieri aliquando ſolet per differentias ex quibus ſpecies cõſtituuntur, vt animaliũ aliud rationale, aliud irrationale, idẽ eſt ac,
2. animaliũ aliud homo, aliud brutũ. Altera diuiſio eſt totius in partes, ex quibus componitur. Et hæc duplex ſolet eſſe ſecundum duplicem rationem partium, ex quibus cõponitur. ſunt enim quædam partes, quæ ad naturam, & eſſentiam rei pertinẽt, quales ſunt, forma, & materia, de quib. ſuperiùs diximus: & ſecundum has fit diuiſio quædã eſſentialis in partes, vt hominis alia pars anima, alia corpus; vaſis alia pars argentũ, alia figura. Quædam ſunt partes, quæ quantitatis rei potiùs quàm naturæ, partes ſunt. & ſecundum has fit diuiſio, quæ in partes integrantes dicitur, quam aliqui partitionem vocant, vt corporis humani alia pars caput, alia brachia, alia thorax, alia vẽter, alia pedes: in his enim decorus partiũ ordo ſeruandus eſt.
3. Similiter terræ alia pars Aſia, alia Africa, alia Europa Tertia diuiſio eſt, quando ſubiectum aliquod in varia accidẽtia, quæ illi inſũt, diſtribuitur: vt hominũ alius doctus, alius indoctus; hominũ alius liberalis, alius prodigus, alius auarus, alius ſtudioſus, alius prauus. Ad hanc diuiſionem pertinent diuiſiones eæ, quibus ſubiectum in ſuas potẽtias diuidimus, vt rationalis animæ alia potẽtia intellectus, alia volũtas, alia memoria, animalis alia potentia ſenſus, alia appetitus, alia ad motũ. Solet autem hæc accidentium diuiſio adhuc dupliciter fieri: aliquando enim accidens in ſua ſubiecta diuiditur, vt alborum aliud liliũ, aliud nix, aliud cygnus, &c. Virtutum aliæ in parte intellectiua, aliæ in ſenſitiua ſunt. Aliquando etiã accidens in accidẽtia diuiditur, vt dulciũ aliud flauum, aliud album. His igitur conſtitutis, præcepta in diuiſione obſeruãda conſtituamus.

Diuiſionis præcepta quatuor.

mus. Primum præceptum eſt, ne plura mẽbra contineat, quàm 1.
par eſt: ſi enim aliquis diuiſione prima animal in omnes ſuas ſpecies diuidat, non erit congrua diuiſio: nam cùm diuiſio rei manifeſtandæ gratia inuenta ſit, ſi multa contineret mẽbra, faſtidium potiùs, & obſcuritatẽ quàm cognitionem pareret. Adde etiam quòd diuidentia membra quendã ordinem inter ſe petunt, quem, ſi tam multa ſint, obſeruare difficillimũ eſt.

Circa hoc autem præceptum tria attendenda ſunt. Primum, vt ſi alicuius communis generis ſpecies paucæ ſint: per illas diuiſio fiat, vt, elementorum aliud ignis, aliud aër, aliud aqua, aliud terra. Secundum, ſi ſpecies plurimæ ſunt, tunc per aliquas ſpecies ſuperiores diuiſio procedat, & has rurſus per alias diuidamus, vt, Animalium aliud homo, aliud brutum: Brutorum aliud aëreum, aliud aqueum, aliud terrenũ: & hæc rurſus per alia, donec ad vltima deueniamus. Tertium, poteſt etiam diuiſio fieri per duas oppoſitas differentias, vt, Animalium aliud rationale, aliud irrationale, ſed horum cauſas perſcrutari, alterius negotij eſt. Secundum præceptum, Singula 2.
membra diuiſionis debẽt eſſe inferiora diuiſo, id eſt, diuiſum ſub ſe plura debet amplecti, quàm ſingula membra: vnde non eſſet cõgrua diuiſio, Animalium aliud ſentit, aliud mouetur; nam ſentire ita commune eſt, ſicut animal, cùm omne animal ſentiat. Tertium præceptum, Omnia membra ſimul ſumpta 3.
ſint ſuo diuiſo æqualia, ita vt nihil contineatur ſub diuiſo, quod non ſub aliquo membro, nec aliquid ſub membro, quod non ſub diuiſo: vnde non eſt diuiſio bona, Animalium aliud rationale, aliud irrationale, aliud elementum; hoc enim tertium membrum non eſt ſub diuiſo. Quartum præceptum 4.
eſt, vt membra inter ſe aliquam habeant æqualitatem, id eſt, vnum in altero non contineatur: vnde non eſt diuiſio bona, Animalium aliud irrationale, aliud bipes; vnum enim alterum includit, cùm aliquod ſit irrationale ſimul & bipes: nec iſta, Hominum alius pius, alius literatus, cùm ſint homines pij ſimul & literati.

De modis argumentandi, & loquendi per Diuiſionem.

CAP. VII.

QVADRVPLEX eſt modus, quo circa Diuiſionẽ argumẽtari poſſumus. Primus eſt à poſitiõe diuiſi ad poſitionẽ 1.
alicuius ex mẽbris diuidentibus, & è cõuerſo, id eſt, de quocũq; ipſum diuiſum affirmare verũ eſt, de eodem aliquòd ex diuidẽtibus membris affirmare verum erit: vt, leo eſt animal, ergo rationale vel irrationale. Similiter de quo mẽbrum aliquod

quod affirmatur, & ipſum diuiſum affirmabitur, vt equus eſt irrationalis:ergo animal. Hîc tamen obſeruandũ eſt, vt à diuiſo procedentes non vnum membrum ſolum,ſed omnia ſub diſiunctione colligamus:nõ enim valet hoc,eſt animal, ergo rationale, ſed inferre oportet ergo rationale, vel irrationale. At ab ipſis membris ad diuiſum progredientes poſſumus, & ab omnibus ſimul,& ſingulis diuiſim inferre, vt hoc eſt irrationale,ergo animal:itẽ,hoc eſt rationale, vel irrationale, ergo animal. Obſeruandũ etiam alterũ eſt,vt in partitionib. cũ diuiſo aliquid cõmune, quod de ſingulis prædicetur aſſumamus,vt mũdi alia pars Africa,alia Aſia,alia Europa, prædicatio ſic eſt cõſtituẽda,Africa eſt pars mũdi, Aſia eſt pars mũdi,
2. & Europa eſt pars mũdi.Secundus argumẽtandi modus à negatione diuiſi ad negationẽ membrorum diuidentium, & econuerſo,id eſt,ſi de aliquo diuiſum negare verũ eſt,de eodem & membra diuidentia negare verũ erit, vt lapis non eſt animal.ergo nec rationalis,nec irrationalis.Item ſi membra negare verũ eſt,& ipſum diuiſum negare verum erit,vt lapis nõ eſt rationalis,nec irrationalis,ergo nec animal Hic autẽ modus aliter ſe habet quàm præcedens: à negatione enim diuiſi procedentes omnia membra ſimul & ſingula licet negare, & ab ipſis ad diuiſum regredientes non ab vno ſolo,ſed ab omniũ negatione procedere debemus: non enim valet,nõ eſt rationale,ergo nõ eſt animal;valet tamen, nõ eſt rationale neq;
3. irrationale,ergo nõ eſt animal. Tertius modus eſt à poſitione diuiſi,& negatione vnius mẽbri ad affirmationem alterius, ſi fuerit diuiſio bimembris, vel à negatione duorũ vel trium, ſi fuerit pluriũ membrorũ,id eſt, ſi de aliquo affirmas diuiſum, & negas vnum, aut duo membra,affirmabis certè membrum reliquũ,vt hoc corpus eſt elementum, & non eſt ignis,nec aqua,nec terra,ergo eſt aër:leo eſt animal non rationale, ergo
4. irrationale Quartus modus eſt inter ipſa membra diuidentia ab affirmatione vnius ad negationẽ alterius, vt hoc eſt ignis, ergo nõ eſt aqua:hoc eſt caducũ,ergo non eſt perpetuũ. Non tamen ſemper iſte modus argumentandi valet: non enim ſequitur,virtus eſt honeſta,ergo non eſt delectabilis: vtrunque enim eſt,niſi velis inferre,non eadem ratione eſt delectabilis, qua eſt honeſta Modus loquendi interroganti triplex eſt.Primum enim quærenti,Quę diuiſio eſt iſta? Reſpõde per aliquã ſpeciem ex ſuperiùs aſſignatis.Secũdò,Qualis eſt diuiſio? Reſponde,bonam,vel malam.Tertiò.Quot partibus cõſtat hæc diuiſio? Reſponde,duobus, tribus,ſecundum numerum partium,

tium,ſeu membrorum ipſius.

Quid Argumentatio,quæ ſpecies;quæ præcepta ipſius ſint.

CAP. VIII.

ARGVMENTATIO præcipuum eſt Dialecticæ inſtrumẽtum,quo ad probandas veritates ignoras,falſitatéſq; repellendas vti ſolemus. Hæc autem eſt oratio,in qua vnum ex altero cõſequi denotatur,id eſt,oratio, in qua propoſitio vna incognita ex altera cognita probatur,& declaratur, vt ſpongia eſt animal, ergo eſt ſenſitiua. Dicitur autem oratio, quia vna vox Argumentatio non eſt. Dicitur,in qua vnũ denotatur conſequi ex altero, quia non ſat eſt vt vnum ex altero ſequatur vt Argumentatio ſit, niſi in tali oratione talis conſecutio exprimatur: vnde iſta Argumentatio non eſt; Spongia eſt animal,& eſt ſenſitiua,licèt vnum ex altero ſequatur, niſi illud explicetur,dicendo,ſpongia eſt animal,ergo eſt ſenſitiua. Ex quo fit,vt in Argumentatione qualibet ſint tres partes neceſſariæ. Prima,illa propoſitio ex qua altera infertur,ſcilicet ſpongia eſt animal,quæ dicitur antecedens,ſeu argumentũ. Altera,illa quæ infertur,ſcilicet,ſpongia eſt ſenſitiua,quæ dicitur conſequens. Tertia,illa cõiunctio, *ergo*, vel ſimilis explicans conſequutionem, quæ dicitur nota illationis. Tota autem oratio ex antecedenti,ſeu argumento,& conſequenti, & nota illationis conſtructa,Argumentatio eſt. *Argumẽtatio quid.* *Arg partes.*

ARGVMENTATIONIS quadruplex eſt ſpecies, Syllogiſm⁹, Enthymema,Inductio & Exẽplũ. Syllogiſmus eſt oratio, in qua ex duobus propoſitionibus inter ſe diſpoſitis tertia neceſſariò colligitur,vt omne animal eſt ſubſtãtia,omnis homo eſt animal,ergo omnis homo eſt ſubſtantia,prima propoſitio maior,ſecunda minor,tertia cõcluſio dicitur. Enthymema eſt Syllogiſmus truncatus,id eſt,qui ex vna propoſitione procedit ad alterius probationem,vt omnis homo eſt animal,ergo omnis homo eſt ſenſitiuus. Inductio eſt à ſingularib. ſufficiẽter enumeratis ad vniuerſale progreſſio,vt iſte ignis eſt calid⁹ & ille ignis eſt calidus, ergo omnis ignis eſt calidus. Exẽplũ eſt ex vno,vel pluribus particularibus vnius particularis propter ſimilitudinem illatio, vt Deus pepercit Niniuitis pœnitentiã agentibus,ergo & aliis peccatoribus parcet, ſi eos pœnituerit. Has ſpecies breuiter modò pro incipientium captu tractaſſe ſufficiat,plura enim ſuis in locis tradenda ſunt. *Arg. ſpecies.* *Syllogiſmus.* *Enthyme ma.* *Inductio.* *Exemplũ.*

NVNC quæ Argumẽtationis præcepta ſint, dicamus oportet. Eſt autem vnum in præſentia ſolum obſeruandum, vt in Argumentatione vnum verè ex altero ſequatur, & inferatur, *Arg præcepta.*

ſicut ſequi & inferri denotatur: quando enim talis conſequẽtia, & illatio deeſt, Argumentatio vitioſa redditur, vt ſi dicas homo mouetur, ergo currit, Argumentatio mala eſt, cùm nõ benè inferatur hominem currere, ex eo quòd mouetur; poteſt enim moueri, & non currere, ſi tantùm ambulet. At ſi dicas, homo currit: ergo mouetur, Argumentatio bona eſt: optimè enim colligitur, hominem moueri ex eo quod currat. Vbi diligenter debes aduertere, Vitium, vel rectitudinem Argumẽtationis non conſiſtere in veritate, vel falſitate propoſitionũ ex quibus conſtat, ſed in recta vel non recta vnius ex altera deductione: poteſt enim fieri, vt argumẽtatio bona ſit ex propoſitionibus falſis, in quibus tamen illatio recta eſt, vt homo volat, ergo homo habet alas, poteſt etiam fieri vt Argumẽtatio vitioſa ſit ex propoſitionibus veris, recta illatione deficiẽte, vt homo eſt animal, ergo habet duos pedes: propterea Argumentatio vera vel falſa non eſt dicenda, ſed bona, vel mala. Signum vnum adhiberi poteſt, quando conſequentia mala eſt, nempe cùm antecedens poſſit eſſe verum conſequenti exiſtente falſo, non ꝙ propter falſitatem propoſitionis mala ſit, ſed quòd in tali caſu certum eſt non eſſe illationem rectã, cùm in conſequentia bona, ſi antecedens verum eſt, & conſequens verum ſit: ex vero enim non ſequitur falſum. Reliqua in libro quarto tradentur.

Nota.

Quis ſit Diſputandi modus obſeruandus inter ſcholaſticos concertantes.

CAP. IX.

Diſputationis vſus & finis.

DISPVTATIO veritatis alicuius indagandæ cauſa eſt: cũ enim plurima nobis non ſtatim manifeſta ſint, eò quòd multa ſimul eorum veritatem impedientia occurrant, nec facile ſit iſta diſcernere. Diſputatione indigemus, qua, propoſita re, alia omnia, quæ illius non ſunt, ſeparantes veram eius naturam conſequamur: vnde effluxit, vt clara veritatis cognitio dicatur diſtincta, quaſi ſegregata ab aliis multis, quibus rei veritas opprimebatur, & verbum Diſputare optima analogia deductum eſt: vt enim plantæ & vites putantur, reiectiſque inutilibus, quibus ſuffocatę erant, purgantur, ita illa diſceptatio, qua ea, quæ veritatem velut ſupprimebant, reiiciuntur, meritò dicitur diſputatio.

Vnde dicatur.

Regulæ communes

PRIMA Regula communis. Ex his id tam Reſpõdenti quã Argumentanti obſeruandum maximè videtur, ne finem hunc

Diſpu

Diſputationis, qui eſt, veritatem indagare, peruertant, dum manifeſtè falſa defendũt, vel circa res admodùm per ſe notas tempus inutiliter conſumunt. Vnde cauere oportet à proteruia, quod clarè falſum eſt ſuſtinendo, vel quod manifeſtum eſt pertinaciter negando. Poterit tamen propter ſcholaſticorum exercitationem verum aliquando impugnari, & falſum aliquod defendi. *diſputãtiũ*

SECVNDA Regula cõmunis. Vtrique etiam id obſeruandum eſt, vt id, cuius veritas inquiritur, & quod diſputandum proponitur, quod thema, vel poſitio, vel quæſtio dicitur, attẽtè cõſideretur, & diſputatio circa illud verſetur, vel circa ea ex quibus illius cognitio dependet, nec fiant extra rẽ digreſſiones, vel verba inaniter iactentur, aut repetantur.

TERTIA Regula communis. Illud vtrique obſeruandum eſt, vt initio ſemel beneuolentiam comiter, & modeſtè captent, Is qui argumentatur, Magiſtri, circunſtantium, & Reſpondentis; Reſpondens verò ſolius Argumentantis. vterque autem ardorem aliquem ac vim (modo ſeruato) diſputationi adhibeat; hoc enim & diſputantium ingenium acuitur, & circunſtantium animi ad attentẽ, & ſine faſtidio, & non citra vtilitatem audiendum eriguntur.

PRIMA Regula Argumentantis. Argumentans maximè obſeruet vt ſuam argumentationem integram proponat aduerſus id quod proponitur à Reſpondente defendendũ, ſemper præmittens, *Sic argumentor, Sic contendo*, vel ſimile: quam poſtquàm ſemel propoſuerit, ſinat Reſpondentem ſuas partes agere, nec interrumpat illum, donec aliquid ei negetur, vel reſpondeatur. *Argumentantis, ſeu impugnãtis.*

SECVNDA Regula Argumentantis. Si aliquid ex ijs, quæ fuerunt ab eo propoſita, Reſpondens negauerit, alio argumẽto conetur illud probare, & poſteà ſinat illum reſpondere. Si autem aliquid ei reſponderit, vel aliquam ſolutionem adhibuerit, quæ videatur vel falſa, vel dubia, vel non cum præcedentibus dictis, aut aſſertionibus Reſpondentis cohærere, vel tandem ei libuerit impugnare, illud alio argumento conetur repellere; quod dicitur Replicare, & circa id poterit multoties eadem argumentandi methodo vti. 2

PRIMA Regula Reſpondentis: Attentè conſideret ea quæ ab Argumẽtante opponũtur: quibus propoſitis fideliter eiſdẽ verbis totam argumentationẽ bis reiteret: & in poſteriori repetitione ante omnia inſpiciat antecedentis terminos, an aliquis patiatur multas ſignificationes, vel ipſum antecedẽs di- *Reſpondentis, ſeu defendentis.*

uerſos habeat ſenſus;quod ſi ita fuerit,diſtinctione vtatur, & illum eligat ſenſum, qui magis ad præſentem diſputationem pertinere videatur.

2 Qvo facto obſeruet ſecundã Regulam: Vt conſequentiã aduertat:quæ ſi ei viſa fuerit vitioſa, eò quòd conſequens ex antecedenti non inferatur, conſequentiam imprimis neget: quod fiet hoc pacto, à reſumpto antecedenti, ſiue verum ſit, ſiue falſum, dicat, *Tranſeat*, quo verbo non aſſerit illud eſſe verum vel falſum, ſed impertinens ad inferendum tale conſequens, & reſumpto conſequenti dicat, *Nego conſequentiã*. Differt autem inter hoc, quod eſt negare conſequens, & negare conſequentiam. Negat conſequens qui negat illud eſſe verũ, negat conſequentiam qui illud, ſiue verum ſit, ſiue falſum, ex antecedenti negat inferri.

3 Qvod ſi conſequentia & illatio bona viſa fuerit, vel quia neceſſaria, vel quia probabilis eſt, obſeruet tertiam Regulã. In poſteriori repetitione argumentationis neget antecedens: ſi enim admittit eſſe verum, cùm conſequentia bona ſit, conſequens etiam erit verum, quod erit oppoſitum eius quod ipſe defendit. Argumentans enim id ſemper inferre conatur, quod eſt contra poſitionem Defendentis: propterea videat Reſpondens vt in bona conſequentia Argumentantis neget antecedens: cuius ſi fuerit duplex pars, neget eam quæ priùs illi falſa apparuerit, quamuis poterit etiam in conſequentia non bona ſed apparenti, vel probabili, concedere antecedens verum, & negare conſequentiam. Debet tandẽ quatuor verbis vti Reſpondens, *Diſtinguo, Nego, Concedo, Reſpondeo*. Diſtinguo dubia: Nego falſa, vel malas Conſequentias: Cõcedo vera: Reſpondeo quod ad difficultatis ſolutionem facit.

4 In reſponſione autem obſeruet Regulam vltimam. Cùm Solutio ab eo petita fuerit, videat, ne quicquam contra ſuas aſſertiones vel contra aliquam aliam ſolutionem ab eo datã dicat, vel aliquid ex quo facilè oppoſitum contra eum conuincatur. Hæ autem omnes Regulæ vſu, & exercitatione ipſa magis manifeſtabuntur, & in promptu erunt.

Quid ſit Terminus in communi, & quotuplex.

CAP. X.

Absolvtis inſtrumentis tribus, prout incipientiũ ingenio ſat erat, ad ſimpliciſſima rurſus Dialecticę Elemẽta redeamus opoitet, quæ Grãmatici Dictiones, Logici Terminos cõmuniter vocant. Et vt ab ipſo nomine incipiamus, Ariſto

Ariſtoteles Terminum docet eſſe extremum alicuius corporis, vel rei, extra quod nihil illius rei eſt, & intra quod omnia eiuſdem rei ſunt; quo pacto duo extrema puncta vnius lineæ dicimus Terminos lineæ, quia talis linea nõ habet vllã ſuam partem extra illa, & omnes ipſius lineæ partes intra ea continentur. *[Terminus.]* Hac analogia vtimur in propoſitionibus ipſis, quarũ extrema Terminos vocamus. Sunt autẽ Propoſitiones, quantùm ſat eſt modo cognoſcere, orationes quibus verè, vel falsò aliquid harũ exprimimus, & harũ extrema, quorum vnum Subiectum, alterum Prædicatum eſt, Termini ſunt; vt in hac, homo eſt animal, homo, & animal, Termini dicũtur; his enim clauditur illa propoſitio, ſicut linea duobus finitur punctis. *[Propoſitio.]* Hoc autẽ pacto definitio termini eſt, Extremũ, in quod reſoluitur propoſitio, vt in ſubiectum, & prædicatum. Vocamus autem Subiectum id, de quo aliquid dicitur. Prædicatũ verò, quod de aliquo dicitur: vt in hac propoſitione, homo eſt animal, homo ſubiectum, animal prædicatum eſt: atque iſta duo ſunt extrema, in quę propoſitio illa vltimo diuidi poteſt; propterea Termini dicuntur. *[Subiectũ. Prædicatum.]* Cùm autẽ propoſitiones nõ ſolùm vocibus, ſed etiam ſcripturis, & ipſo intellectu fiant (vt enim voce proferimus, homo eſt animal, ita intellectu cognoſcimus, hominẽ eſſe animal, & idẽ ſcripturę mãdamus; imò propoſitio in voce explicat propoſitiones intellectus, ſicut ſcriptura voces exprimit) ſolet cõmuniter diſtingui triplex Terminus, Mentalis, Vocalis, Scriptus. *[Triplex terminus; Mentalis; Vocalis.]* Mẽtalis Terminus eſt cognitio correſpondens termino Vocali: vt enim vox, homo, eſt vnus Terminus, & vnum extremũ huius propoſitionis, homo eſt animal, ita cognitio in intellectu, qua cognoſco talẽ vocem, vel rem per ipſam ſignificatam, dicitur Terminus Mentalis, ſeu notitia, vel conceptus; nam idem ſunt. Pari ratione iſta ſcriptura, *homo*, illi voci ſubordinata, dicitur Terminus Scriptus. *[Scriptus.]* Vnde poſſent hi Termini ſic definiri, Terminus Mẽtalis eſt extremũ in quod reſoluitur ea propoſitio, quæ eſt in intellectu. Terminus Vocalis eſt extremũ, in quod reſoluitur propoſitio vocalis. Terminus Scriptus eſt extremũ, in quod reſoluitur ſcripta propoſitio. Intellige ſemper de reſolutione in ſubiectũ & prædicatum: nã apud Ariſtotelẽ aliæ voces ſeu ſigna, quæ in propoſitione ſunt, præter ſubiectũ, & prædicatum non cenſentur propriè Termini, quales ſunt cõiunctiones, aduerbia, & quantitatis ſigna, vt omnis, nullus, aliquis.

[Mentalis duplex; Non vltimatus, Vltimatus.] Terminvs Mentalis ſeu cõceptus duplex eſt: alter Non vltimatus, alter Vltimatus. Nõ vltimatus eſt cognitio, ſeu notitia,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

titia, qua voces ſeu ſcripturas ſignificatiuas cognoſcim⁹. Vltimatus verò eſt cognitio, qua res per tales voces aut ſcripturas ſignificatas cognoſcimus: vt cùm aliquis audit vocalem hãc propoſitionem, homo eſt animal, vel eam ſcriptã legit, priùs vocũ ſeu ſcripturarũ ſingulares habet cognitiones; & hæ dicuntur Cõceptus non vltimati: poſteriùs rerum ſignificatarũ habet cognitiones; & hæ dicuntur Conceptus vltimati: vnde ignari ſignificationis vocabulorum, ſolùm habent Cõceptus non vltimatos. Cõceptus Vltimatus duplex eſt, quidam directus, quidã reflexus. Directus ille eſt, per quem cognoſcimus res per voces aut ſcripturas ſignificatas, vti diximus. Reflex⁹ eſt, alter conceptus, & cognitio, qua priores cõceptus noſtros cognoſcimus, nẽpe, cùm intelligimus nos intelligere, & cognoſcimus nos cognoſcere: non ſolùm enim res ipſas contẽplamur, ſed & tales contemplationes animum ad ipſas reflectentes contemplamur, & tales poſteriores contemplationes ſeu cognitiones, Conceptus vocamus reflexos. Quamuis autẽ Dialectica proximè circa hos omnes conceptus verſetur, voces autem non niſi horum ratione attendat, tamen quia voces clariores ſunt, & per eas magis quæ in intellectu ſunt nota fiunt, frequentiùs de vocibus in Dialectica fit ſermo. Et proptereà Vocales Terminos deinceps explicabimus.

Terminus vocalis duplex, Significatiuus. Non ſignificatiuus.

SOLET autem Vocalis terminus primò diuidi in ſignificatiuum & non ſignificatiuum. Significatiuus eſt, qui ad aliquã rem manifeſtandam eſt impoſitus, vt homo, animal. Non Significatiuus eſt, qui cùm nullam rem ſignificet, prò ſe in propoſitione conſtituitur, vt, Dac eſt vox, Blitiri eſt ſonus; ſubiecta enim harum propoſitionum nullius rei ſignificatiua ſunt. At quia harum rarus eſt vſus, ad Terminos Significatiuos Vocales tranſeamus.

De Termino Vocali Significatiuo.

CAP. XI.

TERMINVS vocalis ſignificatiuus eſt vox ſignificatiua ad placitũ, ex qua ſimplex cõponitur propoſitio. Vt autẽ quo pacto terminus ſignificet, percipi poſſit, quid ſignũ, quid ſignificare ſit aduertem⁹. Signũ eſt, quod prẹter ſui cognitionẽ, alterius etiã cognitionẽ inducit, vt fumus ſignũ ignis eſt: ipſius enim cognitio cognitionẽ ignis etiã occulti facit. Duplex ergo cognitio, quæ notitia dicitur, Signo cuilibet rñdet: prior, ipſiuſmet ſigni, poſterior, eius cuius notitiam inducit.

Signum quid.

Signum Naturale.

SIGNVM duplex eſt, alterum Naturale, alterum Voluntarium,

tarium, quod ad placitum, ſeu ex inſtituto dicitur. Signum naturale illud eſt, quod ex natura ſua ſecluſa hominũ voluntate aliud facit cognoſcere, ſicut fumus eſt ſignum naturale ignis. Signum ad placitum, quod ex ſe alterius cognitionem nõ inducebat, ſed ſolùm, quia homines, vel alia quæuis cauſa id alterius Signum conſtituit, ſicut ſonitus campanæ ſignum eſt lectionis ad placitum. Signũ tam naturale quàm ex inſtituto reperitur in rebus, & in vocibus. Signum naturale in rebus, eſt res, quæ ex natura ſua alterius facit cognitionem; vt veſtigium Signum eſt naturale animalis, & fumus ignis. Ex inſtituto verò eſt res, quæ, vt diximus, non ex natura ſua, ſed hominum voluntate & inſtituto, vel alia extrinſecá cauſa alterius facit cognitionẽ, vt ramus appoſitus ſignum eſt ad placitum vini vendibilis, & ſonitus lectionis. In vocibus autem Signum naturale eſt vox, quæ ex ſe alterius facit cognitionem, vt gemitus eſt ſignum naturale triſtitiæ, & brutorũ voces naturalia ſigna ſuarum paſſionum ſunt. Ad placitum autem eſt vox, quæ propter hominum voluntatem alterius cognitionẽ facit, quales ſunt voces quibus loquimur: hæ enim non ex natura ſua rerum & conceptuum ſigna ſunt, ſed quia linguarum authores has, vel illas voces rebus manifeſtandis adaptarunt. Huiuſmodi ſigna vocales termini ſunt: dicuntur enim ſignificare ad placitum, quaſi ſint ſigna voluntaria, & ex hominum inſtituto rerum manifeſtatiua.

Signum ex inſtituto.

APVD Logicos enim ſignificare idẽ eſt, ac eſſe alterius ſignum, quod alij Significare inſtrumẽtaliter vocant, quaſi voces quædam inſtrumenta ſint, quibus res conceptas exprimimus. Ex his autẽ manifeſta fit Termini definitio. Eſt enim illa particula, vox, loco generis ad excludenda realia ſigna, quæ Termini nõ dicuntur, non enim fumus, aut ſonitus campanæ Termini ſunt. Dicitur, *Significatiua ad placitum*, ad excludẽdas voces brutorũ, & eas hominum, quæ naturaliter ſignificãt, vt gemitus, ſuſpiria: nec enim iſta Termini ſunt. Dicitur denique, *ex quo ſimplex cõponitur propoſitio*, vt manifeſtetur totũ illud, ratione cuius tales voces Termini dicuntur: hoc aptè eſt propoſitio, cuius extrema Termini ſunt. Ex his omnibus colligitur Termino cuilibet duplicem intellectũ reſpõdere conceptũ: alter eſt Nõ vltimatus, qui ipſius vocis cognitio eſt: alter Vltimatus, qui eſt ipſius rei per talẽ Terminũ ſignificatæ.

Significare quid.

Terminus vocalis ſignificatiuus, triplex.

TERMINORVM alius Aequiuocus, alius Analogus, alius Vniuocus. Aequiuocus eſt, q ſignificat plura vt plura ſunt, vt hoc nomẽ Petrus, reſpectu pluriũ, qui tali noĩe nominantur,

Aequiuocus.

& Canis reſpectu canis latrabilis,& marini,& ſideris cœleſtis.

Analogus. ANALOGVS eſt,qui ſignificat plura propter aliquem ordinem ad vnum, vt homo reſpectu viui,& picti, & Nero, vt de Rege quodam & hominibus crudelibus propter ipſius ſimilitudinem dicitur,& ſanum, vt animal,quod ſanitatem habet, & vrinam,& pomum,quę ad ſanitatem referuntur,ſignificat. In quo Analogo obſeruãdum eſt plura eſſe ſignificata, vnum principale,reliqua minùs principalia. Principale illud eſt, ad quod ſignificandum vox primò fuit impoſita: vt illius vocis Nero;principale ſignificatum eſt quidam rex,reliqua ſignificata minùs principalia ſunt, ſcilicet homines crudeles, qui propter illius ſimilitudinem in crudelitate Nerones dicuntur. Similiter principale ſignificatum illud eſt,ad quod reliqua ſignificata reducuntur, vt in ſano, ſignificatum principale eſt, animal habens ſanitatem:reliqua enim eatenus ſana dicũtur, quatenus ad ſanitatem animalis ordinantur;nam vrina ſana dicitur,vt ſanitatis animalis ſignum eſt,& pomum ſanum dicitur quod ipſius animalis ſanitati conducit.

Vniuocus. VNIVOCVS eſt,qui ſignificat vnũ,vel plura,vt in vno cõueniunt,vt Petrus reſpectu vnius,& iſta vox,homo,reſpectu viuorũ,quæ quãuis plures homines ſignificet,eos tñ,vt in vna natura humana conueniunt,ſignificet:in quo ab Aequiuoco differt;qui plura,vt plura ſunt,nec vt in vno cõueniunt ſignificat. Sunt autẽ hîc duæ regulæ aduertendæ. Prior eſt,Omnis Terminus Aequiuocus vel Analogus poteſt eſſe Vniuocus, ſi ad vnũ ſignificatũ comparetur,vt canis reſpectu latrabilis,& ſanũ reſpectu animalis. Poſterior Regula,Quando Terminus Aequiuocus reſtringitur ab vno ſignificato,ſumitur vniuocè: vt canis latrabilis ambulat: Analogus verò, cùm ſine reſtrictione eſt, ſtat pro principali ſignificato, vt ſi dicas, homo currit; ſumitur pro viuis, niſi reſtringatur à membro minùs principali,dicẽdo,homo pictus eſt imago,vel ab aliquo ſigno demõſtrante illud minùs principale ſignificatũ, vt hic homo eſt bene pictus,ſi demonſtres imaginẽ. Differunt autẽ hi Termini quantùm ad conceptus:nã ſicut in Analogo,& Aequiuoco plura ſunt ſignificata, ita & plures correſpõdent Vltimati conceptus ſecundũ ſignificatorũ multitudinem : at Vniuoco, cùm vnũ ſignificet,vnicus correſpõdet conceptus. In conceptu verò Nõ vltimato non differunt:vt enim ſunt ſingulę voces,ſeu Termini, ita ſingulos habẽt cõceptus Nõ vltimatos.

CAPVT XII.

Term. TERMINORVM iterũ alius Categorematicus, alius Syncatego

categorematicus,alius Mixtus. Categorematicus eſt, qui aliquid vel aliqua per ſe ſignificat,vt homo,populus,albũ. Syncategorematicus,qui nihil per ſe ſignificat,tñ alteri termino adiunctus illum facit aliter ſignificare,vt omnis,nullus,non; quæ dicuntur aliqualiter ſignificare, id eſt, aliquem modum applicant termino,cui iunguntur : quamuis hæc propriè non ſunt cenſenda pro terminis, cùm nec ſubiecti, nec prædicati locum habeant. Mixtus eſt,qui aliquid aliquo modo in ſe ſignificat, vt doctè, ſapienter, qui dicuntur Categorema in ſe includere Pari ratione iſta propriè termini non ſunt, ſed verborum modi,vt inferiùs dicemus.

Vocal. ſignif. altera diuiſio. Categorematicus. Syncategor. Mixtus.

SOLET Categorematicus terminus in Complexum, & in Incomplexũ ſubdiuidi. Cõplexus eſt,cuius partes per ſe ſignificatiuæ ſunt,vt homo iuſtus, Incõplexus, cuius partes per ſe non ſunt ſignificatiuæ,vt homo, Illæ partes dicũtur per ſe ſignificatiuæ,quæ retinent ſignificationẽ, quam antè habebãt, quando non erã ſimul iunctæ. Hoc autem cognoſcitur, cùm totum nihil aliud ſignificat quàm partes ; quod non fit in hac voce, dominus. Vnde quatuor neceſſaria ſunt ad terminum complexum. Primum,vt ſit quoddam totum,ideſt,habeat aliquam vnionem plurium dictionum, quod ſignificatur in hoc quod dicitur,*Cuius partes*; ſi enim partes habet,totum eſt: vnde iſtæ voces,homo,animal,leo,non ſunt terminus Complexus,ſed plures termini, cùm nullã copulationem ad inuicem habeant. Secundum,vt hę *partes ſint ſignificatiuæ*, ad excludendas voces ſimplices,quæ partes habent,nẽpe ſyllabas, ſed hæ non ſignificant. Tertium,vt ſic iſtę partes ſignificent,vt per ſe ſignificent,id eſt,vt earum ſignificatio ſit tota ſignificatio totius,& totum nihil aliud ſignificet,quàm partes,ad excludendas voces ſimplices aliquas,cuius partes videntur ſignificare, vt domus, Dominus,non tñ eſt eadẽ ſignificatio totius. Exigitur quartum, vt partes non ſignificent eandem rem, tunc enim eſſet terminus Incomplexus,vt Marcus Tullius Cicero.

Categor. ſubdiuiſio. Cõplexus. Incomplexus.

SVBDIVIDITVR iterum Categorematicus in Cõmunẽ, & Singularem. Communis, qui & Vniuerſalis dicitur, eſt cuius ſignificatio non prohibet illũ à multis vniuocè participari,ſicut equus,arbor,homo : quamuis enim non eſſet in mundo, niſi vnus equus,vna arbor,aut vnus homo,illi eſſent communes termini. cũ ex parte ſuæ ſignificationis apti ſint ad multa vniuocè ſignificanda ſi multa eſſent ; vnde ſol, Phœnix, ſunt termini communes ; ſi enim eſſent plures Soles,& Phœnices his eiſdẽ nominibus ſignificarentur. Dixi,à multis participari,

Categor. altera ſubdiuiſio. Communis, ſeu Vniuerſalis.

intellige, ſeorſum, de ſingulis, aut binis: vnde Roma, Mantua, non ſunt termini communes, licet plura ſignificent, quia non ſeorſum, non enim quilibet ciuis eſt Roma, aut Mantua: proptereà poteſt ſic definiri. Terminus cõmunis eſt, qui plura diuiſim ſignificat Dixi, vniuocè, quia hoc nomẽ, Petrus, poteſt pluribus adaptari, ſed non vniuocè, ideò non eſt terminus Communis. Singularis eſt, cuius ſignificatio prohibet illum à multis vniuocè participari, vt Petrus: Vel aliter, qui vnũ tantùm ſignificat, aut plura coniunctè, vt Roma, Mantua. Ex his liquet hoc Cõplexum, Petrus, vel Paulus, ſeu quodlibet diſiunctum ex terminis Singularibus, eſſe terminũ Cõmunem, cùm de ſingulis ſeorſum prædicetur; demonſtrato enim Petro, verum eſt dicere, iſte eſt Petrus, vel Paulus: idẽ etiam demõſtrato Paulo. At ſi Copulatiuè ſumatur, quodlibet cõplexum terminus eſt Singularis, cùm ſeorſum de multis nõ prædicetur. At complexa, quæ ex terminis Communibus fiunt, ſiue ex vtroque communi, ſiue ex vno ſingulari, altero cõmuni, tam copulatiuè quàm diſiunctiuè, termini Cõmunes ſunt, quia de ſingulis inferioribus aut ſaltem binis prædicantur, vt, homo & leo, homo vel leo, Petrus & leo, Petrus vel leo.

Singularu

Communis ſubdiuiſ. Tranſcendens.

Non tranſcend ns. Singularis ſubdiuiſ. Collectiuus. Determinatus. Vagus. Ex ſuppoſitione.

SVBDIVIDITVR Cõmunis in Trãſcendentẽ, & Nõ tranſcendentẽ. Tranſcendens eſt qui omnia ſignificat, vt Res, Ens, Vnum, Bonum, Aliquid, Verumque hoc vocabulo ex ſingulis initialibus literis confiicto clauduntur, REVBAV: quamuis iſti non propriè Cõmunes exiſtunt, cùm analogi ſint. Non tranſcendens eſt, qui limitatam habet ſignificationem, vt homo.

SINGVLARIVM quidam Collectiuus, quidam Determinatus, quidam Vagus, quidam Ex ſuppoſitione. Collectiuus eſt, qui tantùm plura coniunctè ſignificat, vt Roma. Determinatus, qui vnum tantùm ſignificat, vt Petrus. Vagus, qui vnum ſignificat indeterminatè, vt hic homo. Ex ſuppoſitione, qui vnum ſignificat, & poteſt plura ſignificare, vt filius hominis, filius Cæſaris, ſuppoſito quòd vnum habuerit filium: & hi ſingulares in ſupponendo, communes in ſignificando dicuntur.

Term. Categ. incomplexorum ſubdiuiſio. Concretus. Abſtractus. Connotatiuus.

CAP. XIII.

TERMINORVM Categorematicorũ, & Incomplexorum alius eſt terminus Cõcretus, alius Abſtractus Iterũ alius Connotatiuus, & alius Abſolutus. Concretus eſt, qui ab alio denominatur, vt homo, albũ. Abſtractus, à quo alius denominatur, vt humanitas, à qua homo, albedo, à qua albũ dicitur. Connotatiuus, qui ſignificat aliquid per modum adiacentis,

ſolutus qui ſignificat per modũ per ſe ſtãtis. Differunt au- *Abſolutus.*
n hæc quatuor, Adiacere, Per ſe ſtare, Significare, Cõnota-
duo priora competũt rebus ſignificatis, duo poſteriora ter-
nis ipſis ſignificantibus. Illa res Adiacere dicitur largè vo- *Adiacere.*
bulo ſumpto, quæ alteri ineſt, & in alio ſuſtentatur, ſicut ve-
s adiacent homini, & accidentia ſubſtantiæ, & partes toti:
ẽt illud propriè dicatur Adiacere, quod alteri ineſt, & non
pars, nec de natura eius, ſicut veſtis, & accidentia propriè
iacent. Illud verò per ſe ſtat, quod alteri nõ adiacet, quam- *Per ſe ſtare.*
alia ſint in ipſo, vt homo animal. Terminus igitur non di-
ur Abſolutus ex eo quòd ſignificet rem quæ per ſe ſtat, ſed
ia illam ſignificat, ac ſi per ſe ſtaret, vt albedo, iuſtitia: nec
minus dicitur Connotatiuus, quia ſignificat rem quæ alte-
diacet, ſed quia ſignificat per modum adiacentis ſiue adia-
t, ſiue non. Vnde duplex Connotatiuus, Extrinſecus, & In- *Connotatiuus duplex.*
nſecus. Intrinſecus, qui ſignificat per modũ adiacẽtis rem,
æ non adiacet, vt corporeus, animatus. Extrinſecus, qui ſi- *Intrinſecus.*
ificat per modum adiacentis rẽ, quæ propriè adiacet; & hic
nominatiuus dicitur, vt album, veſtitũ. Significare autem *Extrinſecus.*
aliquid ex impoſitione manifeſtare, vt homo hominẽ ſi- *Significare.*
ificat. Connotare, eſt id manifeſtare, quod ex impoſitione
ũi-tur, vt album ſignificat albedinem, vt adiacet alteri. Et *Cõnotare.*
ia adiacet corpori, dicitur cõnotare corpus. Alij, quod nos
imus Connotare, vocãt ſignificare de materiali, quod nos
rò ſignificare, dicũt, ſignificare de formali: vtrunque ta-
Connotatiuo ineſt. Nec eſt idem Concretus & Connota-
us: homo enim Concretus eſt, non Cõnotatiuus, licèt om-
s Connotatiui Concreti ſint. Nec idem Abſtractus, quod
ſolutus: corpus enim Abſolutus eſt, nõ tamen Abſtractus,
amuis omnes Abſtracti Abſoluti ſint.

His ſubdiuiſionibus explicatis iterum Terminus à prin- *Termini in genere altera diuiſio.*
pio diuiditur in terminum Primæ intẽtionis, & Terminum
cundæ intentionis. Primæ intentionis ille eſt, qui ad res ip-
ſignificandas eſt impoſitus, vt homo, album. Secundæ in- *Primæ intentionis.*
ntionis eſt, qui ad ſignificandos terminos & voces, quate-
s res ſignificant, eſt impoſitus, vt nomen, verbum, oratio, *Secundæ intentionis.*
finitio. Proptereà enim Primæ intentionis dicuntur, id eſt,
mæ impoſitionis, quia priùs termini ad ſignificandas res
poſiti fuerũt. Poſteriùs autem ſunt etiam impoſiti alij ter-
ni ad ipſos priores terminos ſignificãdos, ideò Secũdę in-
ionis, id eſt, impoſitionis dicuntur, vt ſicut priores termini
ſignificant, ita etiã poſteriores ipſos terminos ſignificent;
ſeu vo

ſeu voces rerum ſignificatiuas. Dico autem rerum ſignificatiuas, quia termini ſignificantes ſolas voces ſecundum ſe ſunt Primæ intentionis, vt hi, vox, ſonus, gemitus, ſuſpirium.

CAP. XIIII.

Terminorum vt inuicē comparantur diuiſio.

HVCVSQVE Terminum vnūquēque per ſe diuiſimus: at ſi vnū alteri comparemus, cōplures exiſtent Terminorum ſpecies. Alij enim ſunt Pertinētes, alij Impertinētes. Impertinentes ſunt, qui ab inuicem ſic ſe habēt, vt nec repugnēt inter ſe, nec ſe in bona conſequentia inferāt, vt album, iuſtum: hæc enim non repugnāt, quia poſſunt vni ineſſe; aliquis enim poteſt eſſe albus, & iuſtus: nec ſe inferūt; nō enim eſt bona conſequentia, hoc eſt album, ergo iuſtum, nec econuerſo, quia alterum ſine altero eſſe poteſt. Pertinentes ſunt, quorū alter alteri repugnat, vt album, & nigrum, homo & equus; non enim iſta duo vni ineſſe poſſunt: vel ſimiliter, quorū vnus alterum infert, vt homo, riſibile. Iſti dicuntur Pertinentes ſequela, illi Pertinentes repugnantia.

Impertinentes.

Pertinentes.

Pertinentes ſequela.

PERTINENTIVM SEQVELA, alij ſe habēt vt ſuperior, & inferior, vt homo & animal. Inferior eſt, qui alterū infert, & nō infertur ex illo, vt homo. Superior, qui ab altero tantùm infertur, vt animal reſpectu hominis. Inferior exceſſus, ſuperior excedēs dicitur. Alij Conuertibiles, qui ſe inuicē inferunt, vt homo, riſibile. Alij Synonymi, qui ſignificant eandem rem, cùm diuerſæ ſint voces, veſtis, indumentum.

Vt ſuperior & inferior.

Conuertibiles.

IN his autem Pertinētibus ſunt aliquot modi argumētandi. Primus, circa ſuperiorem & inferiorem. Ex parte alicuius ſubiecti ſi de aliquo affirmatur inferior, affirmabitur ſuperior; vt homo eſt animal, ergo eſt viuens: non autem contrà, ſi de aliquo affirmatur ſuperior affirmabitur inferior, nō enim valet, hoc eſt viuēs, ergo hoc eſt animal, quia viuens eſt ſuperius animal. Negatiuè autē valet, cōtrà à ſuperiori ad inferiorem, vt hoc non eſt animal, ergo nō eſt homo: non autem, hoc non eſt homo, ergo non eſt animal.

Synonymi.

Modi tres argumentandi ex Perti. ſequ.

2 SECVNDVS modus, ex parte prędicati: & tūc valet affirmatiuè & negatiuè ex parte vtriuſque, ſcilicet, quicquid affirmatur, vel negatur de inferiori, affirmabitur vel negabitur de ſuperiori; particulariter tamē ſumpto, vt homo currit, ergo aliquod animal currit, homo nō eſt irrationalis, ergo aliquod animal nō eſt irrationale. Similiter q̃cquid affirmatur, vel negatur de ſuperiori vniuerſaliter tamē ſūpto, etiā affirmabitur vel negabitur de inferiori, vt omne animal eſt ſenſibile, ergo homo eſt ſenſibilis: itē, nullū animal eſt incorruptibile, ergo homo

no non eſt incorruptibilis.
TERTIVS modus argumētandi eſt in Conuertibilibus & 3
onymis,in quibus ſunt iidē modi,qui erant in definito, &
initione,nēpe de quocunque affirmatur,vel negatur vnus
rmatur vel negatur & alter,& quicquid affirmatur vel ne-
ur de vno,affirmatur vel negatur de altero,vt ſuperiùs di-
ius. Pertinentiū repugnātia alij Diſparati,alij Cōtrarij,a- *Pertinentes repugnantia.*
Priuatiui,alij Cōtradictorij,alij Relatiui. Diſparati,qui ſi-
ficāt res diuerſas,vt homo,equus Contrarij,qui ſignificāt *Diſparati.*
quæ ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellūt vt calidū,fri-
um. Priuatiui quorū vnus ſignificat carentiā alterius cum *Contrarij.*
itudine,vt videns,cæcum:dicitur enim cæcum,quod non *Priuatiui.*
et,erat tamen aptum vt videret. Contradictorij, quorum *Contradictorij.*
us exprimit negationē alterius,vt currens,non currens,&
s termini negati,infiniti dici ſolēt. Relatiui ſunt,quorum *Relatiui.*
is ſignificato rdinem ad alium,vt pater ad filiū,& filius ad *Modus 1. argu. ex pertin. rep.*
rem.His omnibus vnus eſt communis argumentandi mo-
,nempe ab affirmatione vnius ad negationem alterius,vt
eſt album,ergo non eſt nigrum,homo eſt rationalis,ergo
irrationalis.Non autem valet à negatione vnius ad affir-
tionem alterius:non enim dicitur bene,hoc nō eſt album,
o eſt nigrū:poteſt enim aliquid eſſe nec albū,nec nigrum,
le eſt cœlum.Si qua alia circa hæc ſuperſunt,alibi dicēda
t.Atque hæ diuiſiones ſufficiant Terminorum,quę preci-
neceſſariæ viſæ ſunt.

De Nomine & Verbo.

CAP. XV.

NVNCIATIO ſimplex ex Nomine,& Verbo tanquam ex
,duabus partibus, Nomine, vt materia, Verbo,vt forma *Nomen.*
tat.Nomen autē,eſt vox ſignificatiua ad placitū ſine tēpo-
cuius nulla pars ſeparata eſt ſignificatiua, finita & recta.
ferunt ſignificare tēpus,importare tēpus,& ſignificare cū *Significare tempus.*
pore.Id tempus ſignificat,quod impoſitū eſt ad explican-
n vel tempus totū,vel aliquam ipſius partem,vt hi termi- *Importare vel connotare tēpus.*
dies,hora,tēpus.Id connotat,vel importat tēpus, quod ſi-
ficat aliquod quod tēpore determinato fit,vt cœna,pran-
m Id cum tempore ſignificat, quod ſignificat vel eſſe ali- *Cum tempore ſignificare.*
m actionem,vel paſſionem,quæ fiunt in tempore,& ea ſi-
ficat prout fiunt in tempore,vt,currit,vincit Primū,& ſe-
ndum nomini conueniunt,tertiū Verbo,& Participio,non
mini:propterea ad ſeparandum Nomē à Verbo,& Partici-
in ipſius definitione ponitur illa pars,*ſine tempore*.Adiun-
gitur

gitur prætereà, quòd *nulla pars nominis ſeparata ſignificet*, ad differentiam orationis, quæ nomē non eſt, cùm ipſius partes per ſe ſignificent, vt dicemus. Nomen enim incomplexus terminus eſt: quòd ſi compoſitæ figuræ Nomina ex partibus ſignificatiuis conſtare videntur, tales tamen partes, cùm in cōpoſitione ſunt, iam non ſignificant: cuius ſignum eſt, quòd aliquando etiā priſtinū characterem amittant; quòd ſi aliquę retineant, id per accidēs eſt, nec neceſſarium. Dicitur prætereà, *finita*, ad excludendas negatas voces, vt, non homo, non leo: quæ cùm nihil certi aut determinati ſignificent, ſimpliciter Nomina dicēda non ſunt. Additur vltimò, *recta*, propter obliquos caſus; qui cùm per ſe partes propoſitionis non ſint niſi rectis adiuncti ſint Nomina non ſunt, ſed Nominum caſus.

Verbum.

VERBVM eſt vox ſignificatiua ad placitum, cū tēpore, cuius nulla pars ſeparata eſt ſignificatiua, finita, & recta; & eſt eorū, quę de altero dicuntur, nota. In qua definitione aliquæ particulæ cū Nominis definitione cōmunes videntur quamuis nō eadē ratione hìc, & illic conſtituātur. Hìc enim dicitur, quòd nulla pars Verbi ſit ſignificatiua per ſe, ad excludēdas orationes ex pluribus verbis, vt currere eſt moueri, legit & ſtudet, ſicut in definitione Nominis excludebātur orationes ex pluribus Nominibus, vt, homo iuſtus. Prætereà dicitur, *finita*, ad excludēdū verbū infinitū, vt, non currit, nō vincit; quòd cùm nullā actionē determinatā ſignificet, verbū nō eſt. Circa quod

Verbum tria habet cōſiderandá.

aduerte, Verbū tria habere. Primùm enim ſignificat aliquam operationē, vt, curro curſū, diſputo diſputationē: in quo cum Nomine conuenit, ac proptereà dicitur vox ſignificatiua ad
2 placitū, ſicut & Nomē. Secūdò, illā ſignificat, vt ſit in tēpore: in quo à Nomine differt, ſed cū Participio communicat; proptereà dicitur, *cū tēpore*, ad differentiā Nominis. Tertiò illam vnit cū aliquo nomine ſubiecto, vt, homo currit: & hoc propriū eſt Verbo; ac proptereà dicitur *eſt nota eorum quæ de altero*
3 *prædicātur*. Quādo autē audis, Verbū infinitari, hoc intellige,

Verbum infinitari quid.

quādo negatio eius ſignificationē deſtruit, vt idē ſit, nō diſputat, ac eſt, nō diſputās. Dicitur tādē, *recta*: vt enim in Nomine ſolus rectus Nomē dicitur, reliqui obliqui, caſus, ita Verbum

Præſens indicatiui propriè verbum eſt, reliqua tempora Caſus verbi.

præſentis indicatiui Verbū eſt, præteritū & futurū, caſus Verbi. Hoc autē fit, quia propoſitio ſimplex nō conflatur ex aliis modis præter indicatiuum, in quo præteritū & futurū ad præſentis normā expenduntur: nā prętetitū nihil aliud eſt quàm quod fuit præſens; futurū, quod erit præſēs: ideò præcipua ratio Verbi in præſenti conſiſtit, quamuis non ſit negandū præteritum

ritum & futurum Verba eſſe,cùm ex eis propoſitiones fiāt.

De Oratione, & Enunciatione.

CAP. XVI.

ORatio eſt vox ſignificatiuā ad placitum, cuius partes ſeparatę ſūt ſignificatiuę,vt dictiones.Id autē ſignificat, dictio.,quòd terminus eſt:vt ſit ſēſus,Oratio eſt vox ſignificatiua ex pluribus ſimplicibus terminis cōpoſita. Nec obſtat orationē aliquā ex propoſitionibus aliquando eſſe cōflatā,vt,Deus eſt verax,& homo eſt mendax:tales enim orationes etiam ex dictionibus ſimplicibus componūtur,propterea orationes ſunt. Oratio quædā imperfecta,quædam perfecta. Imperfecta eſt,quæ nō conſtituit quietum audientis Intellectū,ſed ſuſpēſum dimittit,vt, ſi venires ad me.Sunt autē illæ omnes orationes imperfectæ,in quibus non eſt verbum,& in quibus eſt relatiuū cum vnico verbo,& in quibus ſunt dictiones,quæ virtutem habent ſuſpendendi, & nō eſt niſi vnicum verbū,vt vbicunque,quandocunque.Oratio perfecta eſt,quę perfectū generat ſenſum, & intelligentiam, vt homo ſtudet. Harum quædam Enunciatiua,quædā nō Enunciatiua.Enunciatiua eſt,quę cùm perfectū generet ſēſum,verè vel falsò ſignificat,vt,Deus eſt iuſtus.Non Enūciatiua illa eſt,quę cùm perfecta ſit nihil veri,nihil falſi ſignificat,qualis eſt oratio interrogatiua,imperatiua,optatiua,& ſimiles:quas Dialecticus in vniuerſum nō curat,qui ſolum verum vel falſum indagat. *Oratio.* *Imperfecta.* *Perfecta.* *Enunciatiua.* *Nō Enunciatiua.*

EST igitur Enunciatio,quæ cōmuniter Propoſitio dicitur, Oratio perfecta,quæ verè vel falsò ſignificat,vt,Leo nō eſt animal,Homo diſputat. Eſt autē quædā ſimplex,quā Categoricā,quædam cōpoſita,quam Hypotheticam alij vocāt. Simplex eſt Enunciatio conſtās ex ſubiecto,copula, & prædicato tanquā partibus præcipuis. Subiectum, id eſt,de quo aliquid dicitur,vt, Homo , in hac propoſitione,Homo eſt Dialecticus: quod aliquādo vna dictio eſt, aliquādo vna integra propoſitio,quoties eſt cum relatiuo,qui, & quoties materialiter accipitur.vt fit in hac,Homo qui eſt iuſtus ſpernit mūdū vbi totum id, Homo qui eſt iuſtus, locum habet vnius ſubiecti, ſimiliter in hac,Homo eſt animal,eſt propoſitio,illud totum, Homo eſt animal,ſubiectum eſt,quia materialiter ſumitur.Et in his vtriſque illud verbum,quod in tali propoſitione , quæ ſubiectum eſt, ineſt , dicitur minus principale. Copula eſt ipſum verbum.Prædicatum eſt id quod de alio dicitur,ſicut, Dialecticus in illa propoſitione,Homo eſt Dialecticus. Euenit aliquando propoſitiones nō habere aliquod prędicatum, *Enunciatio.* *Simplex. ſeu Categorica.* *Subiectū.* *Verbum minus principale.* *Copula.* *Prædicatum.*

& tunc

Propoſitio de ſecundo, & tertio adiacente. Enunc. cõpoſita, ſiue Hypothetica. & tunc copula totalis prædicati locum habet; & huiuſmodi propoſitio, de ſecundo adiacēre dicitur, vt, Homo eſt: aliquādo præter copulam prædicatum aliud ineſt; & huiuſmodi de tertio adiacente dicitur, vt Deus eſt bonus. Enunciatio Hypothetica eſt, quæ ex pluribus ſimplicibus principalibus, vel earum locū habentibus componitur, vt, Virtus eſt ſequenda, & vitium fugiẽdum. Dicitur autem locum ſimplicium habentibus quia Enunciationes aliquando fiunt ex orationibus, quę licèt ſimplices non ſint propoſitiones, earum tamen virtutem habẽt, vt, Si homo ſtuderet, eſſet doctus. Omiſſa igitur Hypothetica ad Simplicem manifeſtandam prius accedamus.

De Materia, Forma & Qualita[te] ſimplicis Enunciationis.

CAP. XVII.

QVEMADMODVM in re aliqua naturali quatuor precipuè Philoſophi cõſiderant; Materiam nẽpe ex qua res facta eſt, Formam per quam eſt, Paſſiones, & proprietates à tali re procedẽtes, quas Qualitates vocãt, & denique magnitudinẽ, & dimẽſionem rei, quę Quãtitas dicitur; ita proportione quadam hæc quatuor in Enunciatione, quæ cõpoſitum quoddam eſt, Logici ſpeculãtur. *Quatuor in Enunciatione ſpectantur, Materia, Forma, Qualitas, Quantitas.* Enũciationis Materia eſt ordo, & habitudo quædam inter ſubiectum & prędicatum. Forma eſt ipſorum vnio & connexio quam verbũ importat. Qualitates ſunt, quòd affirmatiua ſit, quòd negatiua, vera, aut falſa. Quãtitates autem, quòd vniuerſalis, particularis, aut definita ſit, vt ſuo ordine trademus.

Enunciationis Materia triplex, Naturalis, CVM igitur Enunciationis Materia, ſit habitudo prędicati ad ſubiectum, ſit vt cùm tripliciter prędicatũ ſe ad ſubiectum habere poſſit, triplex ſit & propoſitionis materia. Prima eſt Naturalis, altera Contingens, tertia Remota. Naturalis eſt, in qua prædicatũ, vel eſt definitio ſubiecti, vel pars definitionis ipſius, vel ſubiectum eſt de definitione predicari, vt homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt animal rationale, homo eſt riſibilis. Similiter etiam harum negatiuæ. *Contingẽs.* Contingens eſt, quando prædicatum ſic ineſt ſubiecto, vt poſſit non ineſſe, vel ſic non ineſt, vt poſſit ineſſe, vt equus eſt albus, homo diſputat. *Remota.* Remota eſt, cùm prædicatũm ſic non ineſt ſubiecto, vt nunquam ineſſe poſſit, vt homo eſt leo, album eſt nigrum; & harum omnium negatiuæ: in eadem enim materia ſunt negatiuæ: in qua & affirmatiuæ.

Forma. DE Forma autem Enunciationis nihil aliud, quàm quod de verbo dictum eſt, tractare modò oportet.

Qualitas. CIRCA Qualitatẽ autem: Enunciatio ſimplex, in veram, & falſam

alſam diuidi primò poteſt. Vera eſt, quæ rem ita ſe habere ſignificat, ſicut ſe habet, vt, homo eſt animal. Falſa, quæ aliter ſignificat, quàm res ſe habeat, vt, homo eſt leo. Nec codē modo veritas vel falſitas in omni ſimplici Enunciatione ſumenda eſt: Enunciationes namque de præterito & futuro ex præſentis ratione pendent: tunc enim propoſitio de præterito vera erit, ſi aliqua præſentis eiuſdem præceſſerit vera: ſimiliter & propoſitio de futuro, ſi aliqua de præſenti futura ſit vera. Et tales Enunciationes de præſenti, dicuntur propoſitiones de ineſſe: vt, Petrus currit, erit vera, ſi iſta, Petrus currit, fuit aliquando vera: ſimiliter & iſta, Antichriſtus erit, eſt vera, ſi aliquando iſta, Antichriſtus eſt futurus, ſit vera.

Enunciatio vera. *Falſa.* *Propoſitio de ineſſe.*

PRAETEREA eſt etiā propoſitio aliqua neceſſaria, alia impoſſibilis, alia cōtingens. Neceſſaria eſt, quæ ſignificat ita rem eſſe ſicut eſt, nec aliter ſe res habere poteſt, vt homo eſt animal. Impoſſibilis, quæ aliter ſignificat, quàm res ſe habet vel habere poteſt, vt, homo eſt leo. Contingens eſt, quæ ſignificat rem ſic ſe habere, qualiter ſe habere, & non habere poteſt, vt, homo currit. Neceſſaria ſemper eſt vera, Impoſſibilis ſemper eſt falſa, Cōtingens aliquando vera, aliquando falſa. Propoſitio in materia naturali affirmatiua, eſt neceſſaria, vt, homo eſt animal. Negatiua impoſſibilis, vt, homo nō eſt animal. In materia remota contrà, negatiua neceſſaria, vt, homo non eſt lapis. In materia verò contingenti vtraque contingens & affirmatiua, & negatiua, vt homo currit, homo non currit.

Neceſſaria. *Impoſſibilis.* *Cōtingens.*

ENVNCIATIONVM ſimpliciū quædā affirmatiua, quædam negatiua. Affirmatiua eſt, cuius copula principalis affirmatur, vt, homo eſt animal, Deus eſt verax. Negatiua, cuius copula principalis negatur, vt, vitiū non eſt virtus. Dico autem de copula principali, ꝙ negetur, vel affirmetur: non enim habenda eſt ratio copulæ minùs principalis, quam ſuperiùs explicuimus. Erit enim Enūciatio affirmatiua, ſi copula principalis affirmatur, etiā copula minùs principali negata, qualis eſt iſta, qui mecū non colligit, diſpergit: & contrà erit negatiua copula minùs principali affirmata, ſi tamen principalis negetur, vt, ſi ſequitur Chriſtum, non ambulat in tenebris. Dico, etiam vt copula negetur, vel affirmetur, quando enim negatio vnicum extremum negat, quod fit in terminis infinitis, Enunciatio affirmatiua erit, vt, lapis eſt non animal, non homo eſt albus. Sunt autem Enunciationes aliquæ, quæ duas habēt copulas principales, & ſimplices ſunt formaliter, quāuis virtute compoſitæ ſint, vt, Petrus fuit, & eſt iuſtus, homo

Affirmatiua. *Negatiua.*

 viuit,

viuit, & viuet. In his accidit aliquando vnam copulam affirmari, & alteram negari, vt, Petrus non venit, ſed veniet, homo viuit, aut non viuet. Et tales propoſitiones, quamuis formaliter mixtæ ſint, quia partim affirmatiuæ, partim negatiuæ ſunt, tamen virtute vel affirmatiuis, vel negatiuis adſcribēdæ ſunt. Pro quarum cognitione hæc regula eſt obſeruanda, vt ſi fuerit ſub diſiunctione, adſcribatur negatiuæ, vt, Petrus non viuit, vel citò morietur: ſi autē ſub copulatione, adſcribatur affirmatiuæ, vt, Petrus ſtudet, & non ſtudebit. Et hoc eſt quod alij aliter dicunt, nēpe ſi talis propoſitio infert in bona conſequentia affirmatiuam ſimplicem, ipſa eſt affirmatiua, qualis eſt illa ſub copulatione: valet enim, Petrus ſtudet, & non ſtudebit, ergo Petrus ſtudet. Quòd ſi ipſa inferatur ex negatiua ſimplici, erit etiā negatiua, qualis eſt illa ſub diſiunctione: valet enim, Petrus non viuit, ergo Petrus non viuit, vel citò morietur; nam diſiunctiua ex vna parte inferri poteſt.

AD hoc genus Enunciationum reducuntur illæ, in quibus eſt multitudo negationū: eſt enim malignantis naturæ: quicquid poſt ſe inuenit negat, & oppoſitum reddit: ſi inuenit affirmatum negat, vt, homo non eſt lapis: ſi inuenit negatum, iterū negat, & virtute affirmatum reddit: negare enim negatū eſt virtute affirmare, vt, nullus homo non eſt animal, id eſt, omnis homo eſt animal. Vnde dici ſolet, paritas negationum affirmat, imparitas negat: ſed hoc intellige virtute; nā ſemper negatio negat, negat autem id ſolum, quod poſt ſe eſt, vt, homo non eſt bonus, illa negatio nō negat ſubiectum, ſicut iſta, nullus homo eſt bonus, nullus impius eſt gratus Deo.

De Quantitate ſimplicis Enunciationis.

CAP. XVIII.

ENVNCIATIO ſimplex ſecundū quantitatē, quadruplex eſt: quædā vniuerſalis, quædā particularis, quædā indefinita, quædā ſingularis. *Enunciatio vniuerſalis.* Vniuerſalis eſt, in qua ſubiectū eſt terminus cōis ſigno vniuerſali determinatus, vt omnis homo appetit bonū, nullus impius habet pacem. In his denotatur ꝙ omni indiuiduo ſubiecti prædicatū competit, vel ab eo remouetur. *Particularis.* Particularis eſt, in qua ſubiectū eſt terminus communis aliquo ſigno particulari determinatus, vt aliquis homo diſputat, in qua denotatur ꝙ non omni prædicatū conueniat, & non ab omni remoueatur. *Indefinita.* Indefinita, cuius ſubiectum eſt terminus communis communiter acceptus, nullo tamen ſigno determinatus, vt homo currit. Hæ autem indefinitæ in materia naturali æquiualent vniuerſalibus, & carū frequens

eſt

eſt in ſciẽtiis vſus, vt homo eſt animal, huic æquiualet, omnis homo eſt animal. Singularis eſt, in qua ſubiicitur terminus ſingularis, vel terminus communis ſigno demonſtratiuo determinatus, vt Paulus fuit decapitatus, iſte homo eſt iuſtus. *Singularis.*

In his omnibus diligenter attende non eſſe habendã rationem prædicati, ſed ſubiecti, quantuncunq; enim prædicatum ſit commune, ſi ſubiectũ ſingulare ſit, & enunciatio ſingularis erit, vt Petrus eſt homo, ſeu, Petrus eſt omnis homo. Similiter etiam ſi ſubiectũ commune ſit quamuis prædicatũ ſit ſingulare, enunciatio communis erit, vt aliquis homo eſt Paulus. Cùm igitur triplex ſit enunciationis facta diuiſio ſecundum ſpecies, aliquo modo, cùm in Categoricã, & Hypotheticam; ſecundũ qualitatem, cùm in veram vel falſam, affirmatiuã & negatiuam; ſecundũ quantitatem, cùm in vniuerſalem, particularem, indefinitam & ſingularem diuiſa eſt; triplex erit etiã interrogandi & reſpondendi modus. Quæ enũciatio eſt iſta? Qualis enunciatio eſt iſta? Quanta enunciatio eſt iſta? Ad primũ reſponde, eſſe Categoricam, vel Hypotheticam. Ad ſecundum per qualitatem eſſe veram vel falſam, affirmatiuam, vel negatiuam. Ad tertium reſponde per quantitatem, eſſe vniuerſalem, particularem, indefinitam, vel ſingularem. *Nota.* *Triplex interrogandi modus.*

De Enunciatione Hypothetica.

CAP. XIX.

SVPRA quid eſſet Enũciatio Hypothetica definiuimus: eſt enim ex ſimplicibus Enũciationibus, vel ex cõplexis locũ ſimpliciũ habentibus, media aliqua cõiunctione compoſita. Huius tres ſunt ſpecies, Cõditionalis, Copulatiua, Diſiunctiua. Conditionalis eſt, in qua vna parte conceſſa poſterior ſequitur, vt, ſi homo currit, homo mouetur. Copulatiua, in qua cõiungũtur partes per cõiunctionẽ copulatiuã, Deus eſt bonus, & iuſtus ſaluator. Diſiũctiua, in qua partes iungũtur per copulam diſiunctionis, vt ego moriar, vel tu non viues. *Enunciationis hypotheticæ ſpecies.* *Conditionalis.* *Copulatiua.* *Diſiunctiua.*

CONDITIONALIS diuidi ſolet in Cauſalem, Rationalẽ, & Particulariter conditionalem. Cauſalis, in qua coniunctio eſt cauſalis, vt, quia ſol lucet, dies eſt. Rationalis, in qua eſt coniunctio illatiua, vt, ſol lucet, ergo dies eſt. Particulariter conditionalis, in qua coniunctio eſt cõditionis, vt, ſi ſol lucet, dies eſt. Hæ autem tres communiter Conditionales dictæ & Conſequentiæ quædam, & ſimul Enunciationes ſunt. Conſequentiæ, quia in eis vnum ex alio denotatur inferri: Enunciationes, quia in eis verum vel falſum exprimitur. Vt conſequentiæ ſunt, bonæ vel malæ dicuntur, & ex antecedenti, *Conditionalis ſubdiuiſio.* *Cauſalis.* *Rationalis.* *Particulariter conditionalis.* *Conſequentia.*

Antecedens, Conſequens quod in Conditionalibus. & conſequenti conſtant. Eſt autem antecedēs in cōditionali & cauſali, quod immediatum eſt poſt coniunctionem; quale eſt id, ſol lucet, in his, ſi ſol lucet, dies eſt, quia ſol lucet, dies eſt: reliquum eſt conſequens In rationali verò, quod antecedit coniunctionem, antecedēs eſt. Earum autem trium rectitudo, vel vitium, in bona vel mala conſequutione vnius ex altero conſiſtit, vt ſuperiùs diximus. Qua parte verò Enunciationes ſunt, veræ, vel falſæ, neceſſariæ, impoſſibiles, & contingentes ſicut reliquæ dicuntur. Et quantum ad hoc, Rationalis à Copulatiua nō differt, ita vt poſſimus quatuor ſpecies Enunciationis Hypotheticæ conſtituere, Copulatiuam, Diſiunctiuam, Propriè conditionalem, & Cauſalē. Ad Copulatiuam multæ enunciationes reducuntur, hæ nempe, in quibus eſt aliquod aduerbium temporis vel loci, vel coniunctiones aduerſatiuæ, vel relatiua: vt, dum lego, vos auditis: vbi eſt magiſter, eſt diſcipulus: Paulus eſt ſanctus, ſicut Petrus: tanta eſt turris, quātus mons: qualis pater, talis filius, & multæ aliæ huiuſmodi. Hîc autem Hypotheticam pro cōpoſita enunciatione accipimus, quamuis antiqui aliter eo vocabulo vſi ſint, vt inferiùs trademus.

Veritas & falſitas Enunciationis Hypotheticæ. Harum veritas, & falſitas nōn eodem modo in omnibus penſanda eſt. Veritas enim copulatiuæ, & rationalis in ſuarum partium omnium veritate conſiſtit, vt tūc copulatiua vel rationalis vera ſit, cùm omnes eius partes veræ ſunt. Vnde iſta eſt vera, ignis eſt calidus, & aër eſt humidus, terra autem ſicca, ſingulæ enim partes veræ ſunt. Eius autem falſitas ex partium falſitate, ſiue omnium, ſiue vnius ſolùm prouenit: adeò vt ſi copulatiua quatuor, aut quinque partes, aut plures habeat, inter quas vna inueniatur falſa, tota etiam copulatiua falſa erit: qualis eſt iſta, terra eſt grauis, & ignis leuis. & aqua non eſt elementum, tota eſt falſa, cùm tertia eius pars falſa ſit. Diſiūctiua autem vera eſt cùm vna eius pars eſt vera; adeò vt ſi plures partes veræ ſimul aut falſæ ſint, tota etiam diſiunctiua falſa ſit: vnde hæc vera eſt, Ignis eſt calidus, vel non eſt calidus, Petrus ſtat, vel non ſtat: hæ autem falſæ, homo eſt animal, vel homo eſt riſibilis, quia vtraq; pars vera: ſimiliter, homo non eſt animal, vel, homo non eſt riſibilis. Ita ſentiebāt antiqui Græci, & Latini de diſiunctiuæ veritate, vel falſitate, quamuis recentiores, non admodum propriè diſiunctiuis vtentes, exiſtimant diſiunctiuam, cuius non ſolùm vna pars, ſed etiā omnes veræ ſunt, & ipſam etiam eſſe veram, præſertim quando diſiunctiuæ fiunt ex partibus inter ſe non oppoſitis, vt, Petrus ambulat vel Paulus ſtudet. Tunc

autem

autem falſa eſt ſolùm diſiunctiuà, cùm omnes partes falſæ ſunt. Conditionalis autem veritas ſolũ in illatione conſiſtit, vt illa ſit conditionalis vera, quæ conſequentia ſit bona, illa verò falſa, quæ conſequentia ſit mala, ſiue propoſitiones veræ ſint, ſiue falſæ. Propterea dici ſolet, conditionalis nihil ponit ineſſe; vnde iſta vera eſt, nullo homine currente, ſi homo currit, mouetur, cùm ſit recta illatio, iſta verò falſa, etiam homine currente, ſi homo mouetur, homo currit, cùm nõ ſit recta illatio. At cauſalis plura petit ad ſui veritatem, nempe, ꝙ vtraque pars ſit vera, & antecedens ſit cauſa cõſequentis, adeò vt ex vnius horũ defectu falſa ſit: vnde iſta eſt vera, quia ignis eſt calidus, ignis eſt leuis, non ſolum quia vtraque pars vera eſt, ſed etiã quia antecedens, ſcilicet ignis eſt calidus, eſt cauſa conſequentis, ꝙ ignis ſit leuis. Iſta verò eſt falſa, quia fumus eſt, ignis eſt, fumus enim non eſt cauſa ignis. Similiter & iſta falſa eſt, nullo homine currente, quia homo currit, homo mouetur, cùm prior pars ſit falſa. Hæc omnia intellige in affirmatiuis Hypotheticis: nam negatiuæ oppoſito modo ſe habent. Sunt enim ad affirmatiuarum rationem examinandæ. Negatiua enim eſt falſa, cuius affirmatiua vera, vera autem cuius affirmatiua falſa.

De reliquis accidentibus Hypotheticæ Enunciationis.

CAP. XX.

NON ſolùm Hypotheticæ Enunciationes veræ aut falſæ, ſed etiam neceſſariæ, impoſſibiles, & contingentes ſunt, ac, reliqua accidentia, quæ ſimplicibus inſunt participãt, quã-uis nõ eodem modo omnibus accidant. Copulatiua enim neceſſaria eſt cùm omnes eius partes neceſſariæ ſunt, qualis eſt iſta, homo eſt animal, & Deus eſt vnus: illa autem contingens eſt, cuius vtraque pars eſt contingens, & compoſſibilis, vt homo ſtudet, & leo currit. Dico autem, vt pars vtraque ſit compoſſibilis, id eſt, vt ſimul vera, vel ſimul falſa eſſe poſſit: nam cùm incompoſſibilis eſt, id eſt, vt ſimul vera, vel falſa eſſe non poſſit, quamuis vtraque pars ſit contingens, copulatiua non erit contingens, ſed potius impoſſibilis, qualis eſt iſta, Petrus ſtat & Petrus non ſtat: ſimiliter iſta, ego lego, & ego non lego. Poteſt etiam copulatiua contingens eſſe, quando vna pars eſt neceſſaria, & altera cõtingẽs, qualis eſt iſta, homo eſt animal, & equus currit: nam ratione vnius partis cõtingentis poterit tota copulatiua aliquando eſſe vera, aliquãdo falſa. Vera quidem, cùm contingens ſimul cum neceſſaria fuerit vera, tunc enim vtraque pars vera erit: falſa autem cùm ſola contingens

Copulatiua neceſſaria. Cõtingens.

fuerit falſa, manente etiam neceſſaria vera, quia ex vnius falſitate tota copulatiua fit falſa. Illa verò eſt impoſſibilis, cuius vel omnes partes ſunt impoſſibiles, vel ſolũ vna pars, vel tãdem vtraque pars fuerit contingens, ſed incõpoſſibilis, vt diximus: vnde iſta eſt impoſſibilis, homo non eſt animal, & homo nõ eſt rationalis: eſt enim vtraque pars impoſſibilis: ſimiliter & iſta, homo non eſt animal, & equus eſt hinnibilis, eſt enim vna pars impoſſibilis: tandẽ & iſta, Petrus ſtat, & Petrus non ſtat, quia cùm vtraque pars ſit contingẽs per ſe, eſt tamẽ incompoſſibilis. Idẽ iudicium eſt de rationali ſicut de copulatiua. Diſiunctiua autem neceſſaria eſt, cuius partes incompoſſibiles ſunt, ſiue vtraque ſit cõtingens, ſiue vna neceſſaria, & altera impoſſibilis, quales ſunt iſtæ, homo eſt animal, vel, homo nõ eſt ſenſibilis. Petrus ſtat, vel, Petrus nõ ſtat. Contingens, cuius vtraque pars contingens & compoſſibilis, vel cuius vna pars contingẽs, quales ſunt iſtæ, Petrus currit, vel aliquis homo ſtudet: eſt enim vtraque pars contingẽs & cõpoſſibilis; ſimiliter, homo nõ eſt animal, vel equ' currit; eſt enim vna pars cõtingens. Similiter iſta eadẽ ratione, homo eſt animal, vel equus currit, contingens eſt, cùm poſſit eſſe vera, vel falſa: quamuis ſecundum recentiores ſuſtinentes veram eſſe diſiunctiuã, cùm vtraque pars eſt vera, iſta vltima neceſſaria eſt, quia vna pars eſt neceſſaria. Impoſſibilis autem diſiũctiua eſt, cuius vtraq; pars impoſſibilis, qualis eſt iſta, vel homo nõ eſt animal, vel homo non eſt rationalis: quamuis ſecundum antiquos etiam diſiunctiua, cuius eſt vtraque pars neceſſaria, eſt impoſſibilis, vt iſta, vel homo eſt animal, vel homo eſt rationalis. Conditionalis autem & cauſalis, cùm præcipuè in illatione quadam conſiſtant, maximè earũ cõtingentia, neceſſitas, vel impoſſibilitas ſecundum illationem pẽſandę ſunt, vt conditionalis ſit neceſſaria in qua vnum ex altero neceſſariò ſequitur, vt, ſi homo currit, homo mouetur. Impoſſibilis verò in qua vnum ex altero ſequi non poteſt, vt, ſi ignis eſſet calidus, ignis frigefaceret. Contingens verò, in qua vnum cõtingenter ex altero ſequitur, hoc eſt, aliquando ſequitur, aliquãdo non ſequitur, vt, ſi Petrus aſſiduè lectionibus interſit, euadet doctus. Vnum autem præter hoc habet Cauſalis, vt pręter illationem vnius ex altero tãquam ex cauſa, vti diximus, habeatur ratio partiũ, ſicut in copulatiua: quamuis enim vnum ex altero neceſſariò ſequatur tanquam ex cauſa, ſi pars vtraque neceſſaria non ſit, Cauſalis nõ erit neceſſaria, ſed contingens, vel impoſſibilis: vnde iſta cõtingẽs eſt, quia homo currit,

Impoſſibilis.

Rationalis nec. Conti. imp.

Diſiunctiua: Neceſſaria. Contingẽs.

Impoſſibilis.

Conditionalis & Cauſalis cum nec. imp.

rit,homo mouetur: iſta impoſſibilis, quia ignis eſt frigidus, ignis eſt grauis. Hæc pari ratione intelligēda ſunt in affirmatiuis: nam negatiuę ex harum ratione diſcernuntur, vt ſit negatiua impoſſibilis, cuius ſit affirmatiua neceſſaria, & negatiua neceſſaria, cuius affirmatiua impoſſibilis, & negatiua contingens, cuius affirmatiua contingens.

De Affirmatione & Negatione: ac Quantitate Hypotheticæ.

CAP. XXI.

VT autem inter has, quæ affirmatiuæ, quæ negatiuæ ſint dignoſcatur, duo obſeruanda ſunt. Alterum eſt, coniunctionem in his ſe habere ſicut in ſimplicibus Enũciationibus verbum principale: vt quemadmodum ſimplex non dicitur affirmatiua nec negatiua, ob extrema ſolùm affirmata vel negata, ſed propter copulam principalem, ita Hypothetica non dicatur affirmatiua, vel negatiua propter ſimplices, ex quibus componitur, ſed pro ratione coniunctionis eas connectentis; quæ ſi negata fuerit, & Hypothetica negatiua erit, ſi affirmata, affirmatiua, vnde iſta eſt affirmatiua, ſi nullus homo currit, nullus homo mouetur, quia coniunctio non eſt negata; iſta verò negatiua, non ſi homo mouetur homo currit, idem in aliis intelligendum eſt. *Affirmatio & negatio in Hypotheticis quomodo dignoſcenda.*

ALTERVM quod obſeruari debet huiuſmodi eſt, negationem, quæ conditionalem, & cauſalem negat, non negare ſimplices Enunciationes, ex quibus componuntur, ſed vnionem illarum: vt qui dicit, Non quia fumus eſt, ignis eſt, non negat quòd ſit ignis, & fumus; ſed quòd non ſit iſta vnio, & ſequela, quòd fumus ſit cauſa, vt ignis ſit: ſimiliter in iſta, Non ſi homo mouetur, homo currit. At in Copulatiua, & Diſiunctiua negatio totum negat, & coniunctionem, & partem: vnde Copulatiua negata æquiualet Diſiunctiuæ ex oppoſitis partibus & contradicentibus. Similiter & Diſiunctiua negata Copulatiuæ, vt, non homo currit, & homo mouetur, huic æquiualet, nullus homo currit, vel nullus homo mouetur. Et hæc, non homo currit, vel mouetur, illi, nullus homo currit, & nullus homo mouetur: negatiua enim Copulatiua Diſiunctiuæ affirmatiuæ, & Diſiunctiua negatiua Copulatiuæ affirmatiuæ ex oppoſitis partibus æquipollent. Circa quãtitatem verò Hypotheticæ, propriè nec vniuerſales, nec particulares ſecundum ſe ſunt: cùm enim quantitas Enunciationis in ſubiecto reſpectu prædicati ſit, hæ autem prædicatum non habeant, non enim vnum de alio prædicãt, ſed quandam Enunciationum connexionem important, fit vt ſingulares

ſint reputandæ, & ſolam contradictoriam ſortiantur oppoſitionem. Quòd ſi aliquando vniuerſales, aut particulares vocantur, id eſt, per quandam partium denominationem, quo modo Syllogiſmi vniuerſales, vel particulares iuxta propoſitiones, ex quibus cōſtant, dici ſolēt. Præter hęc autem vnum eſt attendendum, eſſe quaſdam Hypotheticas, quæ ex aliis etiam Hypotheticis componuntur: & hę iudicandæ ſunt ſecūdum coniunctionem principalem. Dicitur autem ea principalis, quæ alias connectit: vt iſta copulatiua eſt, ſi homo currit, homo mouetur, &, ſi homo ſtudet, euadet doctus: duæ enim Conditionales per Copulatiuam cōiunguntur: ſimiliter in aliis, quę multis modis eſſe poſſunt. Tunc autem veritas & falſitas, contingentia, & reliqua in iſtis debent conſiderari ſecundùm Hypotheticas, ex quibus componuntur, ſicut in illis Hypotheticis, de quibus locuti ſumus, erat conſideratio partium ſimplicium. Atque hæc de Enunciatione tam ſimplici, quàm coniuncta, dicta ſufficiant.

Hypothetica ex aliis Hypotheticis cōpoſita.

FINIS PRIMI LIBRI.

INTRODVCTIONIS IN DIALECTICAM ARISTOTELIS,

LIBER SECVNDVS.

De Suppoſitione.

CAPVT I.

CVM de Termino & Propoſitione hucuſque tractatum ſit, de his quæ Terminis accidunt differere oportet. Hæc autem ſunt, Suppoſitio, Ampliatio, Reſtrictio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio. Suppoſitio igitur eſt vſus termini pro ſe, vel pro ſuo ſignificato: vt in hac propoſitione, Homo eſt animal, vox illa, Homo, loco rei conſtituitur: at verò in hac, Homo eſt nomen, non pro re aliqua, ſed pro ſe ſumpta eſt. Voces enim non ſolùm rerum ſigna ſunt, ſed earum loco dum de rebus diſputamus ſubſtituūtur, cùm res in diſputationem proferre non ſemper poſſumus: hoc tamen priuilegio ipſæ voces gaudent, vt quando de eis diſputatio fit,

De accidentibus Termino. Suppoſitio quid.

tio fit,per eaſdem diſferamus,nihil earũ loco collocantes. Ex quo duplex exoritur vocum ſuppoſitio: altera quando vocibus rerum ſignificatarum loco vtimur:altera cùm pro ſe ipſis ſumuntur.Prior formalis,poſterior materialis eſt. *Suppoſitio duplex. Materialis.*

SVPPOSITIO Materialis, eſt vſus termini pro ſe,qualiter ſubiectum ſupponit in hac propoſitione,Homo eſt vox.Huius ſuppoſitionis indicium eſt,cùm prædicatum ipſi voci, nõ rei per vocẽ ſignificatæ , conuenire denotatur:vt in illa propoſitione prædicatum, *Vox*,non rei ſignificatæ per illam vocem,*Homo*,ſed ipſi voci ineſt, propterea talis vox,*Homo*, materialiter ſupponit.

SVPPOSITIO Materialis duplex eſt , quædam Intrinſeca, quædam Extrinſeca.Intrinſeca eſt vſus termini pro ſe,ſecundum id,quod ſibi naturaliter ineſt, id eſt, quando voci attribuimus ea,quę non ex ſignificatione ei adueniunt,vt,Homo eſt ſonus,Leo eſt vox : quæ ſuppoſitio etiam vocibus non ſignificatiuis ineſt.Extrinſeca eſt vſus termini pro ſe ſecũdum id, quod ei ex ſignificatione prouenit. Id fit cùm de vocibus aliquid enunciamus,quod illis vt ſignificatiuæ ſunt ineſt, vt, Homo eſt nomen,Diſputat eſt verbum.Hæc autem ſuppoſitio in vocibus ſignificatiuis tantùm reperitur. *Intrinſeca. Extrinſeca.*

SVPPOSITIO autẽ Formalis,eſt vſus termini pro re quam ſignificat,cuius quædam Propria, quædam Impropria. Suppoſitio Propria , eſt vſus termini pro re quam propriè ſignificat, id eſt,ad quam ſignificandam primò eſt impoſitus,ſicut ſupponunt termini in hac propoſitione , Homo currit. Impropria,eſt vſus termini pro re quam impropriè ſignificat,id eſt , ad quam ſignificandam per ſimilitudinem , vel figuram aliquam à propria ſignificatione trãsfertur, vt,Iſte homo eſt pictus,Iſte homo eſt Nero:ſimiliter de aliis figuratis locutionibus. *Suppoſitio formalis. Propria. Impropria.*

SVPPOSITIO Propria,quædam eſt Simplex,quædã Perſonalis.Simplex , eſt vſus termini pro ſuo tantùm immediato ſignificato,id eſt,pro re quam primò ex ſe repræſentat,vt hęc vox, *Homo*, in iſta propoſitione,Homo eſt ſpecies : ſupponit enim non pro Petro,aut Paulo,vel alio quouis indiuiduo,ſed pro homine in communi.Suppoſitio Perſonalis, eſt vſus termini pro ſuo mediato ſignificato,vt,Homo vincit: vbi, Homo,non pro homine in communi,ſed pro inferioribus, ſcilicet Petro,vel Paulo ſumitur. *Supp. Propria, Simplex. Perſonalis.*

PERSONALIS quædã Diſcreta,quædã Cõmunis.Diſcreta, eſt vſus termini ſingularis perſonaliter accepti , vel termini *Supp. Perſon. Diſcreta.*

communis ſigno demonſtratiuo determinati, vt, Petrus ſtudet, hic homo contẽplatur. Dico autem, Perſonaliter accepti, quia terminus ſingularis aliquando ſimpliciter ſupponit, vt in hac, Petrus eſt indiuiduum: quod tunc fit, cùm non licet ex ipſo inferre ſpeciem, aut genus; nõ enim dices, Petrus eſt indiuiduum, ergo homo, vel animal eſt indiuiduum. Perſonaliter autem ſupponit, cùm illa licet inferre: valet enim, Petrus diſputat, ergo homo diſputat, & animal diſputat. Suppoſitio

Cõmunis. Cõmunis, eſt vſus termini communis pro ſuis inferioribus, vt, Omnis homo appetit ſcire, vbi, Homo, pro ſingularibus hominibus accipitur.

Supp. Cõmunis. Accidentalis. Hvivs quædam eſt Accidentalis, quædã Naturalis. Accidentalis, eſt vſus termini pro omnibus inferioribus ſecũdum exigẽtiam temporis, quod importatur per copulam ſuæ propoſitionis, vt, Omnis homo ſcribit: vbi ſubiectũ pro præſentibus ſolùm ſecundum tempus illius verbi ſupponit. *Naturalis.* Naturalis, eſt vſus termini pro omni ſuo inferiori ſignificato, vt, Omnis homo eſt animal: ſupponit enim, *Homo*, nõ ſolùm pro præſentibus, ſed pro omnibus ſecundum quodcunque tẽpus, quod in propoſitionibus neceſſariis fit, quæ Suppoſitio alibi eſt examinanda.

De Suppoſitione Communi, & ſignis indicantibus eam.

CAP. II.

Suppoſitionis Communis altera diuiſio. SVPPOSITIO Communis, quæ vſus termini cõmunis pro ſuis inferioribus eſt, quædam eſt Diſtributiua, quædã Copulata quædam Determinata, quędam verò Confuſa. Suppoſitio Diſtributiua, eſt vſus termini cõmunis pro omnibꝰ ſuis *Diſtributiua.* ſignificatis copulatiuè ſumptis. Tunc autẽ terminus pro ſuis ſignificatis copulatiuè ſumitur, quando pro illis ita accipitur, vt in ſingula ſeorſum, reſpectu eiuſdem prædicati, vel ſubiecti in propoſitione copulatiua reſoluatur, vt ſubiectũ in hac, Omnis homo currit: ſic enim eſt reſoluẽdum. Iſte homo currit, & iſte homo currit, & iſte homo currit. & reliqua, demonſtrando ſingula inferiora cum eodem prædicato.

Copulata. SVPPOSITIO Copulata, eſt vſus termini communis pro ſuis ſignificatis collectiuè ſumptis: quod fit, cùm pro illis ſeorſum reſpectu alicuius ſubiecti, vel prædicati non accipitur, ſed pro omnibus ſimul media coniunctione copulatiua, vt, Omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim, id eſt, iſti Apoſtoli, & iſti, & iſti, & alij ſimul ſunt duodecim.

Determinata. SVPPOSITIO Determinata, eſt vſus termini cõmunis pro omnibus ſuis ſignificatis diſiunctiuè: quod tum fit, cùm in

ſingula

ſingula ſcorſum reſpectu ſubiecti, vel prædicati vnius in propoſitione Diſiunctiua reſoluitur, vt ſubiectum in hac, Aliquis homo currit: ſic enim eſt reſoluendum. Iſte homo currit, vel iſte homo currit, & reliqua ſimiliter ſingularia.

SVPPOSITIO Confuſa, eſt vſus termini cõmunis pro omnibus ſuis inferioribus diſiũctim: quod fit cùm pro omnibus ſimul, & nõ ſeorſum reſpectu vnius ſubiecti vel prædicati ſumitur, vt ſubiectũ in hac, Ad equitandum requiritur equus: eſt enim reſoluendum, Requiritur ad equitandum iſte equus, vel iſte, vel alius: non tñ de ſingulis ſeorſum dices, Iſte equus requiritur, vel iſte equus requiritur, quia omnes iſtæ ſingulares ſunt falſæ. Cùm igitur tot Suppoſitiones exiſtant, æquum eſt, vt quo modo Termini ſupponant oſtendamus. At quoniã Suppoſitionum varietas ex vi aliquorum ſignorum, quæ in propoſitionibus ſæpe ſunt, prouenit, horum diſtinctionem & naturam primò aperiamus. Sunt aliquæ voces quæ Terminis adiunctæ eorum ſuppoſitiones variant, & aliter eos ſignificare faciunt, quæ Signa quantitatis dicuntur. Inter hæc quędam nomina, quædam aduerbia, reperiuntur: nomina, vt, Omnis, Nullus: aduerbia, vt, Semper, Nunquam, Similiter: quædam ſyncategorematica, vt, Omnis, Non, Et, Vel: quædã mixta, vt, Nemo, Semper, Nullibi. Itẽ quædam affirmatiua, vt, Omnis, Semper: quædam negatiua, vt, Nullus, Nullibi. Denique quædam vniuerſalia, vt, Nullus, Omnis, Et, Semper: quædam particularia, vt, Aliquis, Aliquando, Vel. Inter mixta vniuerſalia computantur aduerbia nùmeralia, vt Bis, Ter: ſimiliter & nomina, vt, Duo, Tria, Quatuor, quando aliis nominibus non iunguntur: aliis enim adiuncta ſyncategoremata vniuerſalia ſunt, ſicut & Omnis, Quicunque, & ſimilia: quæ omnia aliquando diuiſiuè, aliquando collectiuè ſumuntur. Diuiſiuè, cùm licet ſeorſum ſingularia ſeparare reſpectu eiuſdem prædicati, vt, Quatuor homines, ſiue omnes homines currunt: tunc enim licet reſoluere, iſte currit, & iſte currit. Collectiuè autem, cùm non licet ſeorſum reſoluere, vt, Quatuor homines portant totum pondus, Omnes ciues ſunt mille.

Confuſa ſignorũ, quæ iũcta propoſitionibus earũ ſuppoſitionem variant, diſtinctio & natura.

Quantitatis.

Syncategorematica.

Mixta.

Affirmatiua.

Negatiua.

Vniuerſalia.

Particularia.

PRAETER hæc ſunt alia ſigna partim vniuerſalia, partim particularia, ac proinde media dicuntur: includunt enim particularitatem, & vniuerſalitatem, vt Alter, Neuter, Vterque, Omne, pro ſpeciebus ſingulorũ: reſoluũtur enim per, Et, quæ vniuerſalitas dicitur, & per, Vel, quæ particularitas eſt, vt, Alter oculus eſt dexter, id eſt, omniũ duorũ iſte, vel ille: Neuter, id eſt, aliquorum duorum, neque iſte neque ille: Vterque, id eſt,

Media.

Et, vniuerſalitas.

Vel, particularitas.

eſt,aliquotum duorum iſte,& ille ſimiliter. Omne animal fuit in arca Noë,id eſt,cuiuſq; ſpeciei animalis hoc vel illud indi-
Incompleta. uiduum fuit. Et hæc ſigna incompleta dici ſolent. Hæc intellige quando incompletè ſumuntur:aliquando enim completè ſumuntur, & tunc diſtribuunt pro omnibus ſingularibus. Hæc etiam omnia intellige de ſignis non impeditis:aliquando enim ſimul duo concurrunt, & vniuerſale fit particulare, & particulare vniuerſale : de quibus tradetur cognitio, cùm de æquipollentiis diſſeremus.

De regulis indicantibus ſuppoſitionem,ratione ſignorum.

CAP. III.

PROPOSITIS variis ſignis à quibus terminorũ ſuppoſitio dependet, ſupereſt vt regulas aſſignemus, quibus diuerſorum ſignorum variè manifeſtentur ſuppoſitiones.

Regula 1. SIT igitur prima regula Signa mixta vniuerſalia tam affirmatiua,quàm negatiua,diſtribuunt categorema incluſum in ſe,particularia verò illud determinant, vt, Semper, id eſt, in hoc tempore, & in hoc tempore, & reliquo: Nũquam, nec hoc tempore,nec hoc tempore: Aliquando, hoc vel illo tempore.At in terminos propoſitionis in qua ſunt, variam poteſtatem habent:nanque negatiua diſtribuunt omnes ſicut ſuũ categorema,vt,Nunquam homo eſt leo,ſubiectum & prædicatum huius diſtributiuè ſupponit virtute illius mixti negatiui,vt ſit ſenſus,omni tempore nullus homo eſt leo:affirmatiua verò vniuerſalia confundunt,vt,Semper homo eſt albus, extrema confuſa manent. At in his,quæ particularia ſunt affirmatiua,vt,Aliquando homo eſt albus,extrema ſupponunt, ac ſi nullum ſignum ibi eſſet.

2. SECVNDA Regula. Terminus cõmunis communiter ſupponens, ſi ſine ſigno ſit, vel cũ ſigno ſyncategorematico particulari,ſupponit determinatè,vt,Homo currit,Aliquis homo legit, Petrus vel Paulus ſtudet:hoc enim ſubiectum complexum,determinatè ſupponit. Cùm autẽ in propoſitione ſigna ſyncategorematica ſunt, & vniuerſalia, tunc affirmatiua ſibi proximos terminos diſtribuunt, remotos poſtpoſitos cõfundunt;negatiua verò poſtpoſitos omnes diſtribuũt;vt, Omnis homo eſt animal,homo diſtribuitur,animal cõfunditur. Nullus homo eſt animal,totum diſtribuitur. Hoc intelligi debet quando affirmatiua vniuerſalia diuiſiuè tenentur:cùm enim ſumuntur collectiuè,proximos ſibi terminos copulatim ſupponere faciunt,vt, Quatuor homines portant totum pondus. Tunc autem maximè copulatim ſumuntur, cùm ſingulis illius

illius termini inferioribus, cui iunguntur, nihil per ſe denotatur ineſſe, vt diximus, ſed ſimul omnibus.

Tertia regula. Verba quæ ſuam actionem in terminum 3.
communem primò applicant, virtutem habent proximos ſibi confundendi, vt, Promitto tibi equum, Pariſiis vēditur piper: quæ dicuntur ſigna ſpecialia confuſionis. Et demum quicunque terminus ex alterius reſolutione dependet, confuſus manet, vt, Bis cantaui Miſſam, Ad equitandum requiritur equus: vbi ille terminus, Miſſam, pendet ex reſolutione aduerbij, & terminus, equus, ex reſolutione gerundij.

Quarta regula. Quoties obliquus cum recto coniungi- 4.
tur in vno extremo, iudicandum eſt de obliquo, ac ſi vnum eſſet extremum per ſe, quantùm ad ſuppoſitionem: vnde in hac, Equus hominis currit, determinatè ſupponit, in hac verò, Equus cuiuſlibet hominis, diſtributiuè; in hac verò, Omnis equus hominis, confusè. Nec refert in hoc, quòd antè, vel poſt rectum conſtituatur. Hæ regulæ ſuppoſitiones terminorum à ſignis ſingulis prouenientes indicant. Quando autem bina concurrunt, tunc obſeruandum eſt.

Quinta regula. Cùm virtus duorū ſignorū cadit ſupra 5.
aliquem terminum, tūc vel ſunt eiuſdem virtutis, vel diuerſæ. Si diuerſæ fuerint, ſignū determinans maiorem habet virtutem, quàm confundens, & diſtribuens: vnde in hac, Omnis homo eſt aliquod animal: & in hac, Nullus homo eſt aliquod animal, prædicatum determinatè ſupponit, ſignum verò diſtribuens maiorem habet virtutem, quàm confundens: vnde in hac, Omnis homo non eſt animal, prædicatum diſtributiuè ſupponit. Hæc præſertim reſpectu prædicati intelligenda ſunt: nam reſpectu ſubiecti maior eſt virtus diſtribuentis, vt patet in hac, Non quidam homo currit: ſubiectum enim diſtribuitur. Quando verò duo ſigna eiuſdem virtutis ſunt, nempe quia vtrunque diſtribuit per ſe, mutuò ſe impediunt, & determinanti æquiualent: vnde in hac, Non omnis homo eſt animal, ſubiectūm determinatè ſupponit, quia æquiualet iſti, aliquis homo non eſt animal. Hoc intellige reſpectu ſubiecti: nam cùm talia duo ſupra prædicatum cadunt, illud ſupponere confusè faciunt, vt in hac, Nullus homo non eſt animal, quæ iſti æquiualet, Omnis homo non eſt animal.

Sexta regula. Signa incompleta immediatos terminos 6.
incompletè diſtribuunt, id eſt, partim vniuerſaliter, partim particulariter ſupponere faciunt, vt ſuperiùs diximus, & inferiùs in eorum reſolutione magis manifeſtabitur.

Signa exponibilia. ALIA ſigna ſunt præter iſta, quæ partim affirmatiua, partim negatiua ſunt, vt, Præter, Tantùm,& alia, quæ exponibilia dicuntur, de quibus in lib. tertio diſſeremus.

De Reſolutione Suppoſitionis terminorum.

CAPVT IIII.

Aſcenſus propoſitionum. *Deſcēſus.* DIALECTICI ad manifeſtandã Suppoſitionis vim, & varios propoſitionũ ſenſus ex diuerſa terminorũ ſuppoſitione prouenientes, in qua maximè earum veritas, ſeu falſitas conſiſtit, vtuntur reſolutione quadã, quã aſcenſum, & deſcenſum vocant. Eſt autẽ Aſcenſus à ſingularibus ſufficiẽter enumeratis ad vniuerſale progreſſio. Deſcẽſus verò ab vniuerſali ad ſingularia progreſſio: vt, Iſte ignis calefacit, & iſte calefacit, &c. ergo omnis ignis calefacit: vel deſcendendo, Omnis ignis calefacit, ergo iſte calefacit, & iſte calefacit. *Aſcenſu quando vtamur.* Maximè autẽ vtimur aſcenſu, qñ veritatem alicuius vniuerſalis propoſitionis probare, & manifeſtare volumus: propterea oportet vt omnia ſingularia quoad fieri poſſit enumeremus, præſertim cùm ſub diſtributo aſcendimus. Tunc autẽ ſufficienter enumerantur ſingularia, quãdo ex his, quæ nota ſunt, cum probabilitate aliorũ ſic ſe habentium procedimus: vt ſi dicas, Iſte ciuis huius vrbis eſt albus, & iſte eſt albus, nec apparet vllus qui non ſit albus, etiãſi omnes non numerentur, infertur, Omnis ciuis huius vrbis eſt albus; quia probabile eſt reliquos qui non apparent, nec numerãtur, eſſe albos, cùm maior pars viſa ſit alba. *Deſcenſus vbi ſit vſus.* Deſcenſu autem vtimur ad vniuerſalis alicuius falſitatem oſtendendam: propterea non ſemper oportet ad omnia ſingularia deſcendere ſub vniuerſali diſtributo, cùm falſitas ex vnius ſingularis defectu, veritas autem ipſius vniuerſalis ex omnium ſingularium poſitione proueniat.

Aſcenſus & deſcenſus quadruplex. *Copulatiuus.* *Diſiunctiuus.* TAM aſcẽſus, quàm deſcẽſus quadruplex eſt. Copulatiuus, diſiunctiuus, copulatus, diſiũctus. Copulatiuus, eſt in quo ſingularia ſeorſum reſpectu vnius ſubiecti vel prędicati ſumuntur in propoſitione copulatiua, vt, Iſte homo eſt animal, & iſte homo eſt animal, & reliqui ſinguli, ergo omnis homo eſt animal. Hæc autẽ reſolutio debetur termino ſupponenti diſtributiuè. Diſiũctiuus, eſt in quo ſingularia ſingula per ſe reſpectu ſubiecti, vel prædicati vnius, ſumuntur in propoſitione diſiunctiua, vt, Iſte homo currit, vel iſte homo currit, ergo homo currit. Et hæc debetur termino ſupponenti determinatè. Iſtæ autem duæ reſolutiones ad veritatem & falſitatem propoſitionis manifeſtandam, & probandam conducunt.

MAXI

Maxime autẽ intereſt inter aſcẽſum Copulatiuũ,qui debetur termino ſuppoẽti diſtributiuè,& Diſiunctiuũ,qui debetur ſupponenti determinatè. Cũ enim vterque ad varietatẽ propoſitionis cõmunis probandã,& declarandam ordinetur, neceſſe eſt vt ſingularia per quæ aſcenditur, vera ſint,cũ diſcrimine tñ:in Diſiunctiuo enim ſufficit vnius ſingularis veritas ad propoſitionis cõmunis veritatẽ, vt. Homo currit, vera eſt ſiue vnũ ſingulare currat;propterea nõ oportet multa ſingularia numerare:at in Copulatiuo non vnius ſolũ, ſed omnium ſingulariũ,quæ ſub illo termino ſunt, veritas eſt neceſſaria,ad vniuerſalis veritatẽ, propterea omnia in aſcenſu annumerare oportet. Oppoſitum autem obſeruandũ eſt in deſcenſu,quo ad vniuerſalis falſitatẽ oſtendendam. Tunc enim in Diſiunctiuo per omnia ſingularia deſcendere oportet,cùm vnius aut plurium ſingularium falſitas propoſitionem particularem falſam efficere non ſufficiat.In copulatiuo verò,per vnum ſingulare ſatis erit deſcendere : propoſitio enim vniuerſalis,ex vnius ſingularis falſitate falſa fit.

Diſiunctiui differentia.

Deſcenſus Copulatiui & Diſiunctiui differentia.

Praeter has reſolutiones duas, Dialectici duas alias aſſignant quibus ſuppoſitionis copulatæ, & confuſæ vim manifeſtent, ponuntque aſcenſum, & deſcenſum copulatum & diſiunctum. Copulatus, eſt cùm omnia ſingularia ſimul ſub copula coniunctiua reſpectu vnius prædicati ſumuntur, vt. Omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim, id eſt, iſti Apoſtoli, & iſti,& alij ſimul ſunt duodecim. Quæ reſolutio debetur termino ſupponenti collectiuè. Diſiunctus,eſt cùm omnia ſingularia ſub diſiunctione ſumuntur, ita vt non liceat quodlibet per ſe ſumere, vt, Ad equitandum requiritur equus,id eſt, requiritur iſte,vel iſte equus.

Copulatus.
Diſiunctus.
Copulati & Diſiũcti a Copulatiuo & Diſiunctiuo differentia.

In quo à Diſiunctiuo differt,ſicut & Copulatus à Copulatiuo. In Copulatiuo enim & Diſiunctiuo ſingula ſingularia per ſe cum prædicato ſumimus, quod fit in propoſitione copulatiua vel diſiunctiua : At in Diſiuncto & Copulato ſingularia omnia ſimul cum vno prædicato in propoſitione categorica conſtituimus.

Copulatiuus, & Diſiunctiuus quidam Affirmatiuus, quidam Negatiuus.

Ascensvs & Deſcenſus, Copulatiuus, & Diſiunctiuus, quidam eſt Affirmatiuus,qui ſub propoſitione affirmatiua fit: quidam Negatiuus, qui ſub propoſitione negatiua : in illo ſingularia per propoſitiones affirmatiuas, in hoc per negatiuas enumerantur.

De Regulis circa ordinem reſolutionis.

CAP. V.

Regulæ reſolutionis.

1. VT propoſitionum veritas nota fiat, reſoluendi ordinem aduertere oportet, qui ſequentibus propoſitionibus manifeſtatur. Prima Propoſitio, Nullus terminus ſupponens materialiter, ſimpliciter, vel ſingulariter, vllam habet ſingula-
2. rium reſolutionem: vnde in his, Homo eſt ſpecies, Leo eſt nomen, Petrus ſedet, ſubiecta reſoluenda non ſunt.

SECVNDA propoſitio. Sub termino, vel aggregato ſupponenti collectiuè non eſt reſolutio copulatiua facienda, nec ſub confusè ſupponenti diſiunctiua, vt, Iſte, & iſte ſunt duo, non dices, ergo iſte eſt duo. Similiter non dices, Pariſiis &
3. Romæ venditur piper, ergo Pariſiis, & Romæ venditur hoc piper, vel venditur hoc piper.

TERTIA propoſitio. Non eſt reſolutio facienda ſub duobus terminis ſimul, ſed ſub vno priùs, & dum ſub illo reſolutio fit, alter immotus, id eſt, eodem modo ſe habens, maneat, vt, Omnis homo eſt omnis homo, ſic reſolue, Iſte homo eſt
4. omnis homo, & iſte homo eſt omnis homo. Non autem ſic, Iſte homo eſt iſte homo, & iſte homo eſt iſte homo.

QVARTA propoſitio. Terminus mixtus vniuerſalis affirmatiuus, vel negatiuus priùs in ſe reſoluendus eſt, copulatiuè ratione categorematis in eo incluſi, quàm reſoluãtur termini propoſitionis, vt, Semper homo currit, hoc tẽpore homo currit, & hoc tempore homo currit. Nunquam omnis homo currit, nec hoc tempore omnis homo currit, nec hoc tempore omnis homo currit. Bis cantaui Miſſam, ſemel cantaui
5. Miſſam, & iterum ſemel cantaui Miſſam. Facta autem reſolutione mixti, propoſitionis termini iuxta ſuas regulas reſoluantur.

QVINTA propoſitio. Sub determinato aſcẽde priùs, quàm ſub diſtributo. In deſcenſu verò poteris etiã à diſtributo incipere, vt, Homo non eſt animal, non aſcendes ſub prædicato, ſic, Homo non eſt hoc animal, & homo non eſt hoc animal, ergo homo non eſt animal: nam ſingulares propoſitiones antecedentis ſunt veræ, conſequens verò falſum, quod fieri in conſequentia bona non poteſt. Talem defectum argumentandi vocant Dialectici. A pluribus determinatis reſpectu partium multitudinis, ad vnicam determinatam reſpectu totius multitudinis. Multitudinem vocant terminum diſtributum:

Multitudo & partes multitudinis, quid.

butùm:partes verò multitudinis,ſingularia,quæ ſub eo ſunt. Poterit tamen ſub tali diſtributo deſcendi, vt, Homo non eſt animal, ergo homo non eſt hoc animal,& homo non eſt hoc animal: tunc enim non dabitur antecedens verum & conſequens falſum.

6. Sexta propoſitio. Sub diſtributo termino, vel complexo priùs deſcende, quàm ſub confuſo: Licebit tamen ſub confuſo aſcendere: non enim dices, Omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt hoc animal, vel,Omnis homo eſt hoc animal:valet tamẽ aſcendẽdo, Omnis homo eſt hoc animal, vel,Omnis homo eſt hoc animal,ergo Omnis homo eſt animal. Idem intellige de aliquo termino vniuerſali à quo alter pendet, vt, Ad equitandum requiritur equus, priùs oportet reſoluere illud gerundium in ſua inferiora.

7. Septima propoſitio. Quando termini eodem modo ſupponunt, vel determinatè, vel diſtributiuè, commodius eſt ſubiectum quàm prædicatum priùs reſoluere, vt in hac, Homo eſt animal, in qua termini determinatè ſupponunt, & in hac, Nullus homo eſt equus,in qua diſtributiuè. Hæc omnia intelligenda ſunt in propoſitione,quæ non habet ſigna exponibilia: iſta enim priùs reſoluenda ſunt, vt dicetur inferiùs. Similiter intelligenda ſunt in reſolutione prima; facta enim reſolutione diſtributi, confuſus manet determinatus, & ſub eo poteſt fieri reſolutio, vt, Omnis homo eſt animal, ergo iſte homo eſt animal, &,Iſte homo eſt animal, poſteà prædicatum reſolue, Iſte homo eſt hoc animal, vel iſte homo eſt hoc animal.

8. Vltima propoſitio. In conditionali ſeu cauſali propoſitione ſubiectum conſequentis priùs eſt reſoluendum, quàm termini antecedentis, vt in his,Si omnis homo in gratia obierit,nullus condemnabitur, Si nullum alimentum ſuppedites animali,omne morietur. Hæ ſunt Regulæ maximè in reſolutione obſeruandæ, quas ſequentibus carminibus faciliùs quis memoriæ mandare poterit.

Verſus,ſuperiores reſolutiõis regulas cõplectentes.

Simpliciter,pro vno,pro ſe vox ſumpta quieſcat.
Cernere confuſum, collectum ſpargere noli,
Cuique ſuum tribuens,tu primò mixta reſolue.
Ne tangas voces binas,contemne priora,
Vltima contemplans quando deductio regnat.
Aſpice ſignatum aſcendens,commune relinque.
Ima petens confuſa ſinas,communia ſume.
Elige ſubiectum quando ſors poſtulat æqua.

De Reſolutione incompleta.

CAP. VI.

Aſcenſus, & deſcenſus mixtus. EST alius Aſcenſus, & Deſcenſus mixtus, partim conſtans copulatione, partim diſiunctione, qui debetur terminis incompletè ſupponentibus, quales ſunt illi qui cum his ſignis ſunt de quib. ſuprà locuti ſumus, ſcilicet, Alter, Neuter, Vterque; hi enim terminum pro ſuis inferioribus binis ſupponere faciunt: ac propter eà talis ſuppoſitio Duorum vocatur: *Suppoſitio duorum.* Sed id cum diſcrimine: nã Alter, binaria inter ſe diſtribuit, in ſe ipſis verò diſiungit, vt, Alter oculus eſt dexter, id eſt, horũ duorum iſte, vel iſte eſt dexter, & horum duorũ iſte, vel iſte eſt dexter. Vterque verò, binaria diſiungit inter ſe, & in ſe copulat, vt, Vterque pes eſt claudus, id eſt, horum duorum iſte, & iſte eſt claudus, vel horũ duorum iſte, & iſte eſt claudus: Neuter, idẽ prſus facit, ſed negatiuè, vt, Neutra man⁹ eſt dextera, id eſt, harũ duarũ nec illa, nec iſta eſt dextera, vel harum duarũ nec iſta, nec iſta eſt dextera. Eſt etiã aliud ſignum incompletum, Omnis, quod aliquando completè ſumitur, ſicut & præcedẽtia: & tunc diſtribuunt terminum cui iunguntur pro omnibus ſuis inferioribus. Aliquando, Omnis, incompletè ſumitur cũ termino generico iungitur: tunc autem diſtribuit ſpecies, diſiungit verò indiuidua ſpecierum, vt, Omne animal fuit in arca Noë, id eſt, ex hac ſpecie animalium hoc, vel illud indiuiduum, & ex hâc ſpecie hoc, vel illud indiuiduum, quod idẽ eſt ac ſi, Cuiuſlibet ſpeciei animalis aliquod indiuiduum fuit in arca Noë. *Suppoſitio pro generibus ſingulorum.* Et talis ſuppoſitio dicitur, Pro generibus ſingulorum, id eſt, pro ſpeciebus ſingulorum indiuiduorum: Prior verò dicitur, Pro ſingulis generũ, id eſt, pro omnibus ſpeciebus & omnibus ſpecierum indiuiduis. *Suppo. pro ſingu. generum.*

Completæ & incompletæ ſuppoſitionis diſcrimen. MVLTVM autem refert ad veritatem propoſitionis quòd termini ſupponant completè, vel incompletè: nam Completa ſuppoſitio petit veritatem omnium inferiorum, nullo excepto: vt, Omne animal currit, ſi vera futura eſt talis propoſitio, ſubiectumq́ue ſupponit completè, opus eſt, vt omnia indiuidua ſpecierum omnium animalis currant. Si incompleta eſt ſuppoſitio, ſufficit ad veritatem eius vt ex omnibus ſpeciebus vnum ſaltem indiuiduum, aut alterum currat: quem ſenſum facit illa propoſitio, Omne animal fuit in arca Noë. Eadem ratio eſt in aliis: nam, Alter oculus eſt dexter, ſi ſuppoſitio ſit incompleta, non opus eſt ad veritatem eius, vt omnes oculi ſint dextri, ſed vt ex omnibus binariis vnus ſaltem ſit dexter.

De Reſolutione Relatiuorum
CAP. VII.

RELATIVORVM contemplationem ad Grammaticum pertinere non eſt qui eat inficias, tamen quia ſola cognitio talis ad veritates, vel falſitates propoſitionum, quæ è Relatiuis oriuntur, dignoſcendas non ſufficit, Dialectico examine opus eſt: propereà paucis ex Grãmatica acceſitis, ea, quæ ſecundũ Dialecticã in his obſeruanda ſunt, tiademus. Relatiuum igitur eſt ſermonis antecedentis recordatiuũ Eſt autem duplex, aliud Subſtantiæ, aliud Accidentis. Relatiuũ Subſtantiæ, eſt quod ſuum antecedens per modũ nominis ſubſtantiui refert: nec refert vtrùm antecedens ſit ſubſtãtia vel accidens, ſiue nomen connotatiuum, ſiue abſolutũ, ſiue vnum nomẽ, ſiue vna oratio, dummodò vnius ſubſtantiui locum habeat. Relatiuum Accidentis, eſt quod refert per modum adiectiui, ſiue illud ſit ſubſtantia, ſiue vnum nomen, ſiue vna oratio.

Relatiuũ quid. Rel. ſubſtantiæ. Relat. accidentis.

RELATIVVM Subſtantiæ, aliud Identitatis, aliud Diuerſitatis. Identitatis, eſt quod pro eodem accipitur, pro quo ſuũ antecedens, ſiue pro eodem numero, vt, Beatus vir qui timet Dominum: ſiue pro eadem ſpecie, vt, In ligno vicimus, in quo peccauimus. Relatiuum Diuerſitatis, eſt quod pro alio ſuppoſito accipitur, quàm ſuum antecedens, vt, Petrus loquitur, & alter tacet. Dicitur autem ſuum antecedens referre in obliquo, ſcilicet, Alter à Petro tacet.

Rela. ſubſtãtiæ ſubdiuiſio. Diuerſitatis.

RELATIVVM Accidentis ſimili ratione aliud Identitatis, aliud Diuerſitatis. Identitatis, eſt quod refert ſuũ antecedens conſignificando idem accidens, vt, Petrus eſt iuſtus, qualem oportet eſſe Chriſtianum. Diuerſitatis, eſt quod refert ſuum antecedens conſignificando diuerſum accidens, vt, Auguſtinus fuit catholicus, & alius fuit Arrius.

Relat. accidẽtis ſubdiuiſ. Identitatis. Diuerſitatis.

RELATIVVM Subſtantiæ Identitatis, quoddam Reciprocum, quoddam Non reciprocum. Reciprocum, regreſſionem quandam ſignificat in ſuum antecedens, vt, Omnis homo amat ſe, Mater diligit filium ſuum. Non reciprocum, talem regreſſionem non ſignificat, qualia ſunt reliqua Relatiua ſignata. Relatiui accidentis reſolutio ex eius ſignificatione manifeſta eſt. Pro aliis autem ſit.

Rel. ſubſtan. identit. ſubdi. Reciprocum. Non reciprocum.

PRIMA propoſitio. Relatiuũ, Qui, copulatiuũ ſenſum facit: idem enim valet quod, Et ille. Bifariam autem poteſt in propoſitione cõſtitui. Aliquando à parte vnius extremi, ſcilicet quãdo ſubiecto, vel prædicato copulatur, vt, Animal, quod eſt rationale, eſt riſibile: & tunc illa integra propoſitio eſt vna

Regula de Relatiuo ſubſtãtiæ.

Copula implicationis. Categorica, cuius ſubiectum eſt propoſitio vbi relatiuũ eſt, cuius verbum dicitur Copula implicationis. Aliquando non ponitur à parte vnius extremi alterius propoſitionis, ſed ipſũ per ſe relationum extremum cõſtituit, vt, Homo eſt animal, qui eſt riſibilis: & talis propoſitio formaliter Hypothetica eſt, & virtualiter Copulatiua. Eſt autem in vtriuſque reſolutione magnum diſcrimẽ: cùm enim Hypothetica eſt, immediatè in Copulatiuam eſt reſoluenda, vt, Homo mouetur, qui aliquãdo ſtudet: reſoluatur, Homo mouetur, & ille aliquãdo ſtudet. At cùm Categorica eſt, non eſt immediatè in Copulatiuam reſoluenda, quouſque antecedens ipſius reſoluatur, vt, Omne animal, quod eſt rationale, eſt riſibile, non eſt reſoluendum, Omne animal eſt rationale, & illud eſt riſibile: ſed antecedens in ſingularia priùs reſoluetur, & facta ſingularium reſolutione poterit vnumquodque ſingulare in copulatiuam reſolui, nempe, Hoc animal, quod eſt rationale, eſt riſibile, & hoc animal, quod eſt rationale, eſt riſibile, poſtea, Hoc animal eſt rationale, & eſt riſibile.

2. SECVNDA Propoſitio In Hypothetica Copulatiua virtuali, vel formali, Relatiuum refert ſuũ antecedẽs reſtrictè, id eſt, pro illo eodẽ, pro quo ſuũ antecedens accipiebatur in ſua Categorica, vt Homo diſputat, & ille contemplatur, ille, ſcilicet homo, qui diſputat, contemplatur. Idem ineſt Relatiuo Diuerſitatis, vt, Homo legit, & alius audit, alius, ſcilicet à legente, audit. Cùm autem Relatiuum refert terminum ſupponentem copulatim refert totam collectionẽ, vt, Omnes Apoſtoli ſunt duodecim, qui ſunt in cœlo, ſcilicet, & illi omnes ſunt in cœlo. Hoc autem priuilegium habet diſiunctiua propoſitio, vt Relatiuum in ea nõ referat reſtrictè, vt, Homo loquitur, vel ille tacet, ille, ſcilicet homo, tacet.

3. TERTIA propoſitio, Relatiuum Reciprocũ ſupponit ſicut ſuum antecedens ſigillatim, ſcilicet vt reſoluẽdo antecedens, reſoluatur Relatiuum correſpõdens ſingulis inferioribus antecedens, vt, Omnis homo eſt ipſemet, Ipſemet, refert hominem: at cũ reſoluis, Petrus eſt ipſemet, refert Petrum, Paulus eſt ipſemet, refert Paulũ: ſimiliter, Omnis mater diligit filiũ ſuum. Vbi obſeruandum eſt, non licere loco Relatiui Reciproci ſuum antecedens ponere: non enim idẽ eſt, Omnis homo odit ſe, &, Omnis homo odit hominem, nec, Mater amat filium ſuum, & amat filium matris. Licebit autem id duobus locis facere, & cùm Reciprocũ eſt totale extremũ, vt, Omnis homo eſt ipſemet, idẽ eſt ac, Omnis homo eſt homo: & cùm ſimiliter

ſimiliter antecedēs eſt ſingulare, vt, Petrus diligit ſe, & Petrus diligit Petrum, dummodò antecedēs vniuocè ſumatur. Quādo verò Relatiuū non eſt Reciprocum, licet ipſius loco antecedens conſtituere, ſeruata reſtrictione, vt, Homo diſputat, qui loquitur, idem eſt ac, Homo diſputat, & homo diſputans loquitur. Ex quo ſequitur, tale Relatiuum ſupponere, ſicut ſuum antecedens ſupponeret eodem loco conſtitutum.

QVARTA propoſitio. In reſolutione obſeruare oportet, vt Reciprocū ſimul cum antecedente reſoluamus, ſimul & Non reciprocum, cùm à parte vnius extremi eſt, vti diximus. At cū propoſitio Hypothetica eſt, antecedēs reſoluatur, Relatiuo nō Reciproco manēte inuariato, vt, Animal eſt irrationale, & canis eſt illud, reſolue, Hoc animal, ſcilicet equus, eſt irrationale, & canis eſt illud, vbi, *Illud*, ſupponit pro animali, ſicut in priori: propterea cōſultius erit ponere antecedens loco relatiui, dū fit reſolutio ſub antecedenti, ſcilicet, Animal eſt irrationale, & canis eſt animal, nempe irrationale. 4.

De Ampliatione.

CAP. VIII.

CVM ſuprà terminos pro rebus ſecundum tempus per copulam importatum exiſtētibus ſupponere docuerimus, ſupereſt vt modò explicemus quando termini pro pluribus, vel paucioribus quàm tempus copulæ exigit, ſupponant, quā Dialectici Ampliationem, vel Reſtrictionē vocant, quæ multùm veritati propoſitionum cognoſcendę prodeſt, cùm ab ea & propoſitionum conuerſio, & multiplex argumentandi modus pendeat. Eſt autem Ampliatio, extenſio termini à minori ad maiorem ſuppoſitionem. Quando enim terminus in propoſitione pro re ſecundum tempus præſens exiſtente accipitur, dicitur ſuum ſtatum habere: at quando indifferenter & diſiunctim ſimul pro præſenti, & alio accipitur tempore, dicitur ampliari, vt in hac, Iuſti viuent vitam pacificam, Iuſti, nō ſolùm pro præſentibus, ſed etiam pro futuris accipitur. *Ampliatio termini.* *Terminus ſuum ſtatū habere & ampliari qui dicatur.*

ESτ autē diuerſus Ampliationis modus in terminis ſingularibus, & in communibus, tam abſolutis, quàm cōnotatiuis. Terminus ſingularis cùm vnum tantùm ſignificet, ampliatur quoad exiſtentiam ſui ſignificati ſecundùm varias differētias temporis, vt, Petrus cucurrit, id eſt, Petrus qui eſt, vel fuit, cucurrit: quæ dicitur Ampliatio temporum. Terminus autem communis cùm plura ſignificet, nón ſolùm ſecundùm tempus, ſed etiam ſecundùm ſuppoſita variis temporibus exiſtētia, ampliatur, vt in hac, Multi homines ſaluabuntur, ſubie- *Ampliatio ſimplex* *Termini ſingularis.* *Termini communis.*

ctum non ſolùm pro præſentibus, ſed etiam pro futuris ampliatur. Terminus autem Connotatiuus cùm præcipuè formam ſignificet ſecundũ eam ampliatur, vt in hâc, Album fuit nigrum, ſubiectum ratione albedinis ampliatur, vt ſit ſenſus, Hoc corpus, quod modò habet, vel habuit albedinem, fuit nigrum. Triplex igitur Ampliatio eſt, Sola temporum, quę ineſt ſingularibus. Temporum, & ſuppoſitorum quæ ineſt communibus. Temporum, & Formarum, quæ connotatiuis conuenit terminis.

Termini connotatiui.

Tempora autẽ, ſecũdùm quæ termini ampliantur, apud Dialecticos quinque ſunt, Præſens Præteritum, Futurũ, Poſſibile, & Imaginariũ: vt tunc terminus ampliari dicatur, quãdo ſecundum plures differentias, vel omnes, horũ temporum diſiunctim ſupponit. Dico autem diſiũctim, quia cùm terminus ſecũdum plura tempora copulatiuè accipitur, Ampliatio non eſt, vt ſubiectum in hac, Petrus eſt, & fuit doctus, nõ ampliatur: ſed opus eſt vt ſecundum plura tempora, vel omnia, ſub diſiunctione accipiatur, vt, Petrus eſt, vel fuit doctus, ſiue tempora ſint expreſſa, vt in exemplo præcedenti, ſiue virtute in vno verbo contineantur, vt in ſequentibus Regulis manifeſtabitur, quæ plurimùm roboris in communi loquendi vſu habent.

Tempora qui neque ampliatio nis terminorum.

Regulæ ampliationis terminorum ſecundum tempora.

Prima Regula. Verbum Præteriti ampliat ſuum ſubiectũ ſecundum duas temporis differentias, Præteriti nẽpè, & Præſentis: ſuum verò appoſitum reſtringit pro tempore Præterito. Verbum autem Futuri ſimiliter ſubiectum ſecundum Pręſens, & Futurum ampliat, appoſitũ verò ad Futurum reſtringit, vt, Adam fuit ex limo factus: vbi, *Adam*, pro quodam ſuppoſito qui eſt, vel fuit, ſupponit, illud verò appoſitum, ex limo factus, reſtringitur pro eo, quod fuit Et clariùs, Petrus audiuit lectionem, Petrus ampliatur pro eo qui eſt, vel fuit; appoſitum autem illud, *lectionem*, pro lectione præterita reſtringitur. Prætereà, Domificator faciet domos, vbi, *domificator*, ampliatur pro eo qui eſt, vel erit; appoſitum autem, *domos*, reſtringitur pro his, quæ erunt.

2 Secunda Regula. Terminus ſignificans inceptionẽ, vel actionem, per quã res incipit eſſe, vel fieri, vel ſignificans aliquam prioritatem, ampliat terminos quibus ſuã ſignificationem applicat, ſecũdum Præſens, vel Futurum, vt, Pluuia incipit, ſcilicet quæ eſt, vel erit, Aedifico turrim, Petrus eſt prior Antichriſto. Contrà verò terminus ſignificans defectionẽ vel deſtructionem, vel poſterioritatem, ampliat ad tẽpus Pręſens,

vel

vel Præteritum, vt, Comburo domũ, ſcilicet quæ eſt, vel fuit, Deſtruo Baſilicam, Sum poſterior Adamo.

3 TERTIA Regula. Verbũ Poteſt, vel aduerbia illud includẽtia, ſcilicet, Poſſibiliter, Impoſſibiliter, Neceſſariò & nomina ſignificantia poſſibilitatem exiſtentiæ, ampliant ſuos terminos ad Pręſens, vel Pręteritũ, vel Futurum, vel Poſſibile, vt, Roſa eſt corruptibilis, ſcilicet quæ eſt, vel erit, vel poteſt eſſe.

4 QVARTA Regula. Verba ſignificãtia actum animę interiorem, ampliant ad quinque temporum differẽtias, vt, Alexander appetebat alium orbem ſibi, *Orbis* ampliatur pro eo, qui eſt, vel erit, vel poteſt eſſe, vel ſaltem imaginabatur eſſe. Similiter, Intelligo Chimæram, Opto ſanitatem.

De modis argumentandi in Ampliatione.

CAP. IX.

VTILIS eſt admodùm argumentandi modus in Ampliatione: vbi maximè obſeruandum eſt terminum amplũ ſe habere ad eundem non amplum, ſicut terminus ſuperior ad inferiorem, & alios præter illum: ita amplus comprehendit minùs amplum, & ipſum excedit. Homo enim dũ ampliatur pro his qui ſunt, vel erũt, includit ſeipſum, vt ſupponit ſolũm pro his qui ſunt, iuxta quod ſumitur primus modus argumẽtandi: vt enim valet à ſuperiori diſtributo ad inferiorem affirmatiuè vel negatiuè, ſcilicet, Omne animal currit, ergo homo currit, ſimiliter, Nullũ animal currit, ergo homo non currit; ita ab amplo diſtributo ad non amplum valet affirmatiuè vel negatiuè, vt, Omnis homo poteſt diſputare, ergo homo ꝙ eſt poteſt diſputare, ſimiliter, Nullus homo poteſt eſſe lapis, ergo nullus homo eſt lapis. Hoc autẽ vnum debet attendi, vt quãdo affirmatiuè argumentamur, ponatur Conſtantia termini non ampli, id eſt, aliqua propoſitio affirmatiua, per quam denotetur illum terminum nõ amplum ſupponere: aliter argumentatio mala erit. Poterit enim antecedens dari verũ & cõſequens falſum: vt putà, ſi nullus eſſet homo pręſens, tunc antecedens verum eſſet, ſcilicet, Omnis homo poteſt diſputare, (ratione enim ampliationis, ſubiectum ſupponit pro his qui poſſunt eſſe) conſequens autem falſum, Homo qui eſt poteſt diſputare, cùm nullus homo ſit ex caſu ſuppoſito. At ſi in antecedenti addatur Conſtantia ſubiecti non ampli denotans illud eſſe, non dabitur antecedens verũ, & conſequens falſum. Et in hunc vſum inuenta eſt à Dialecticis Conſtantia.

Terminus amplus & nõ amplus. Primus modus argumẽtandi in Ampliatione.

Conſtantia termini non ampli.

SECVNDVS modus. Sicut valet ab inferiori ad ſuperiorem terminũ particulariter ſumptũ affirmatiuè, vel negatiuè, vt,

Secundus modus argum.

Homo currit, ergo animal currit, ſimiliter, Homo non currit, ergo animal non currit, ita valet à nō amplo ad amplum non diſtributum, id eſt, particulariter ſumptum, affirmatiuè vel negatiuè, dummodò in negatiuo modo argumētandi ponatur Conſtantia non ampli, vt, Homo diſputat, ergo homo poteſt diſputare, ſimiliter, Aliquis homo qui eſt non poteſt diſputare, & homo eſt, ergo aliquis homo non poteſt diſputare.

Ex quibus fit, vt ſicut non valet à ſuperiori ſine diſtributione ad inferiora, nec ab inferiori ad ſuperiorē diſtributum: non enim valet, Animal currit, ergo homo currit, nec valet, Homo currit, ergo omne animal currit, ita nec valet à non amplo ad amplum diſtributum, nec ab amplo non diſtributo ad non amplum; nō enim dices, Homo poteſt diſputare, ergo homo diſputat, cùm argumentemur ab amplo ſine diſtributione ad non amplum: nec ſimiliter, Homo nō diſputat, ergo homo non poteſt diſputare, cùm ex parte prædicati à nō amplo ad amplum diſtributum argumentemur.

Obſeruandum argumentanti in Ampliatione. In his argumentandi modis obſeruandum eſt, ne dum argumentamur à ſubiecto amplo diſtributo ad non amplum, committatur defectus ex parte prædicati, ab amplo non diſtributo ad non amplum argumentando: non enim valet, Omnis homo poteſt diſputare, ergo omnis homo diſputat, quia prædicatum illud, *Diſputare*, manet amplum ſine diſtributione. Negatiuè valeret quidem, quia negatio prædicatum diſtribuit, vt, Nullus homo poteſt diſputare, ergo nullus homo diſputat.

De Reſtrictione, Alienatione, & Diminutione.

CAP. X.

Reſtrictio, & eius modi gnatnor. RESTRICTIO, eſt termini coarctatio à maiori ad minorē ſuppoſitionē, quę oppoſita eſt Ampliationi. Fit autem talis termini reſtrictio maximè quatuor modis. Primò, per
1 copulā implicationis, vt, Omnis homo qui eſt iuſtus ſpernit mundum, vbi illud ſubiectū, Homo, reſtringitur, vt pro iuſtis
2 ſolùm ſupponat. Secūdò, per additionem adiectiui in eodem extremo, vt, vir ſapiens amat ſcientiam. Dico autem, in eodē extremo; cùm enim adiectiuū in alio extremo, quàm ſubſtātiuum ſit, collocatur, nulla fit reſtrictio: ſi enim dicas, Omnis homo eſt ſapiens, ſubiectum, Homo, non ſolùm pro ſapien-
3 tibus, ſed etiam pro omnibus hominibus ſupponit. Tertiò, per additionē obliqui à parte etiā eiuſdē extremi, vt, Omnis liber Ariſtot. eſt Græcè conſcriptus, vbi ſubiectum, *liber*, pro his ſolùm quos Ariſtoteles ſcripſit ſupponit: & tunc obliquus

dicitur

dicitur Determinatio, rectus autem Determinabile. Tandem quartò, reſtrictio fit, per appoſitionem ſubſtantiui inferioris, vt, Apoſtolus Paulus ſcripſit ad Romanos, vbi ſubiectū illud Apoſtolus, reſtringitur, vt pro Paulo ſupponat. Omnes hę additiones non mutant ſignificationem, vel diminuunt, eorum quibus adiunguntur, ſed ſolùm ad pauciora ſuppoſita trahunt.

Determinatio. 4

Svnt autem aliqua addita, quæ terminū impropriè ſupponere faciunt, & ex propria ſignificatione in impropriā transferunt, vt, Duo Leones marmorei ſunt in foro, Homo pictus eſt in aula: in quibus ſubiecta pro ſignificatis ſimilitudinatijs accipiuntur. Et talis acceptio, Alienatio dicitur: eſt enim Alienatio, diſtractio termini à propria ad impropriam ſignificationem. Sunt etiam addita diminuentia termini integram ſignificationem, vt, Aethiops eſt albus ſecundum dentes: qui termini diminuti dicuntur, Dicta ſecundum quid.

Alienatio. *Diminutio.* *Dicta ſecundum quid.*

In his autem vtriſque attendere oportet, ne argumentemur à termino alienato vel diminuto, ad eundem terminum abſolutè, & ſimpliciter ſumptum: non enim valet, Aethiops eſt albus ſecundum dentes, ergo eſt albus: nec valet, Duo leones marmorei ſunt in foro, ergo duo leones ſunt in foro.

Obſeruantia argumentandi in Alienatione, Diminutione, Reſtrictione.

Circa modum verò argumentandi in Reſtrictione idem obſeruandum eſt quod in Ampliatione. Terminus enim non reſtrictus habet locum ſuperioris, ſeu Ampli: Reſtrictus verò inferioris, ſeu non ampli. Vnde eſt prior argumentandi modus, à non reſtricto diſtributo ad reſtrictum, affirmatiuè, vel negatiuè, dummodò in affirmatiuo argumentandi modo ponatur Conſtantia reſtricti, vt, Omnis homo diſputat, & aliqui homines docti ſunt, ergo omnis homo doctus diſputat: ſimiliter, Nullus homo currit, ergo nullus homo albus currit. Poſterior modus, A reſtricto ad non reſtrictum non diſtributum, affirmatiuè, vel negatiuè, Conſtantia in negatiuo poſita, vt, Homo doctus non diſputat, & homo doctus eſt, ergo aliquis homo non diſputat: ſimiliter, Equus albus currit, ergo equus currit. Ex quibus fit, eadem ratione qua in Ampliatione, non valere à non reſtricto non diſtributo ad reſtrictum, vt non ſequitur, Equus currit, ergo equus albus currit: nec à reſtricto ad non reſtrictum diſtributum; ſimiliter enim non ſequitur, Omnis equus regis currit, ergo omnis equus currit.

De Appellatione.

CAP. XI.

Appellatio, ſpecies quædã Reſtrictionis eſt, quæ maximè in adiectiuis terminis reſpectu terminorũ quibus iũguntur reperitur, ſiue tales termini abſoluti, ſiue connotatiui ſint. Eſt autẽ Appellatio, applicatio ſignificati formalis vnius termini, ad formale, vel immediatum ſignificatũ alterius: vt ſi quis dicat, Petrus eſt Logicus magnus, hic terminus, *magnus*, applicat ſuum formale ad formale ſui ſubſtantiui, denotatque Petrum eſſe magnum, & peritũ Logices, taliſque applicato, Appellatio dicitur, & terminus applicãs ſuũ formale, Appellans dicitur, is autem cui applicatur, Appellatum. Fit etiam ſimilis Appellatio in termino abſoluto, quando aliquid ipſius immediato ſignificato conuenire denotatur, vt, Homo eſt ſpecies. Cognoſco animal, Video Petrum. In quibus propoſitionibus tales termini, nempe, *Homo*, *Animal*, *Petrus*, pro immediatè ſignificatis ſumuntur. Quãuis autem in his vſum & vim locutionis maximè inſpicere oporteat, quaſdam tamẽ Regulas præſcribere iuuabit.

Appellatio. *Appellãs.* *Appellatum.* *Regula de Appellatione.*

1 Prima Regula. Quando terminus abſolutus ſubiicitur prędicato, non conuenienti ſuo mediato ſignificato, tale prędicatum appellat immediatum ſignificatũ ipſius ſubiecti, vt, Homo eſt ſpecies, Animal eſt genus: prædicata enim illa homini, vel animali inſunt vt homo, & animal ſunt, id eſt, vt cõceptu communi cognoſcuntur.

2 Secunda Regula. Quando adiectiuus terminus cũ connotatiuo ponitur à parte eiuſdem extremi, appellat formale ipſius ſubſtãtiui, vt, Iſte eſt monachus albus, Petrus eſt Logicus magnus: in quibus denotatur, quòd ille ſit albo habitu, & hic peritus Logices. Cùm autem tales duo termini à parte extremi eiuſdem nõ ſunt, talis Appellatio non fit; vt ſi dicas Iſte monachus eſt albus, non ſignificat quòd ſit albo habitu.

3 Tertia Regula Verba ſignificãtia actũ animę appellant formale, vel immediatum ſignificatum proprij termini cui iunguntur, vt, Cognoſco venientem, Vidi Papam: in quibus denotatur, me cognoſcere aliquẽ venire, & me vidiſſe Papã, dum erat Papa. Idem cenſendum eſt de quibuſdam verbis applicantibus ſignificationem ſuam terminis connotatiuis, vt, Facio calceum, Conſtruo domum, in quibus ſignificatur, me inducere formam in materiam, non autem quòd faciam corium, vel lapides, ex quibus fit calceus, vel domus.

4 Quarta Regula. Nomina numeralia primitiua termino ſubſtan

ſubſtantiuo iuncta multiplicant formam, & ſuppoſitum ſubſtantiui, vt Tres homines, id eſt, tria ſuppoſita, habentia ſuas ſingulas peculiares naturas: iuncta tamen adiectiuo multiplicant ſolùm materiale, vt, Tria alba, id eſt, tria corpora habentia albedinem; adeò vt ſi fieri poſſit vt vna & eadem albedo in tribus eſſet diſtinctis corporibus, talia poſſent tria alba dici, ſi album adiectiuè ſumatur. Aduertenda eſt autem hæc Regula magis pro Theologia, quàm pro Logica.

Obſeruandum argumentanti in Appellatione.

Circa modũ argumentandi id obſeruandum eſt, ne ſub termino appellato argumentemur, & varietur, vel auferatur appellatio termini appellantis. Vnde non valet, Petrus eſt Logicus, & Petrus eſt magnus, ergo eſt Logicus magnus: nec valet, Eſt Logicus magnus, ergo eſt Logicus, & eſt magnus: nec valet, Video venientem, Petrus eſt veniens, ergo video Petrum: nec ſimiliter valet, Iſte facit calceum, calceus eſt corium, ergo facit corium; nec ſimiliter è conuerſo.

De Enunciationis ſimplicis Oppoſitione.

CAP. XII.

Propoſitionum inuicem collatarum accidentia tria.

De qua oppoſitione hic agatur.

De proprietatibus terminorum in propoſitione hucuſque tractauimus: æquũ erit modò de accidentibus ipſarum propoſitionum, quæ adinuicem collatæ ſortiuntur, differere. Ea ſunt Oppoſitio, Aequipollentia, & Conuerſio. Non autem hîc de Oppoſitione, quæ inter res inuenitur, agimus, ſecundũ quam calor frigiditati, & albedo nigredini opponitur: nec de ea, quæ inter terminos, ſecundũ quã alij Contrarij, alij Contradictorij, alij Relatiui, alij Priuatiui ſunt: ſed de illa quæ inter propoſitiones verſatur. Eſt autem Oppoſitio, duarũ propoſitionum vtroque extremo eodem ordine participantium, ſecundum qualitatem, vel quantitatem repugnantia.

Oppoſitio quadruplex.
Contradictoria.
Contraria.
Subcontraria.
Subalterna.

Quadruplex autẽ eſt Oppoſitio. Contradictoria, Contraria, Subcõtraria, Subalterna. Contradictoria, eſt Oppoſitio duarum propoſitionum, ſecundùm qualitatẽ & quantitatem repugnantiũ, nimirum quia altera vniuerſalis, altera particularis, altera affirmatiua, altera negatiua, vt, Omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus. Contraria, eſt Oppoſitio duarum propoſitionum vniuerſalium, ſecundùm qualitatem repugnantiũ, vt, Nullus homo eſt albus, Omnis homo eſt albus. Subcontraria, eſt Oppoſitio duarum propoſitionum particularium, ſecundùm qualitatem repugnantium, vt, Aliquis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus. nec hîc indefinitam à particulari diſcernimus. Subalterna, eſt Oppoſitio duarum propoſitionum, ſola quantitate repugnantiũ, vt, Omnis

homo

homo eſt albus, Aliquis homo eſt albus: Nullus homo eſt albus. Homo non eſt albus. Harum duarum propoſitio vniuerſalis, dicitur Subalternans: particularis verò, Subalternata. Sunt autem quædam particulariùs in omni Oppoſitione obſeruanda.

Regulæ de oppoſitione

1 PRIMVM eſt, vt vtroque extremo eodẽ ordine participẽt, id eſt, idem habeant ſubiectum, & prædicatũ: vnde iſtæ nullatenus opponuntur Homo nõ eſt animal, Lapis nõ eſt equus: nec iſtæ, Homo nõ eſt equus, Homo eſt animal: nec iſtæ, Homo eſt animal, Animal non eſt homo.

2 SECVNDO obſeruandum eſt, vt iſta identitas extremorum ſit in Nomine, In re ſignificata, In integritate, In tempore, & loco. In nomine, vt ſit eadem dictio categorematica: vnde iſtæ non opponuntur, Cicero ſcripſit, Tullius non ſcripſit: Angelus eſt Dei. Angelus non eſt Deus: Corpus eſt albũ, Corpus non eſt albedo In re ſignificata ne ſit æquiuocatio: non enim opponuntur Canis latrat, Canis non latrat. In integritate, vt idem ſit totale ſubiectum, & totale prædicatum: vnde omnia ſigna, omnes termini, qui partes extremorũ efficiuntur, debẽt eſſe in vtraque propoſitione oppoſita: quare omnes hæ non opponũtur, Petrus non currit velociter, Petrus currit: Omnis equus regis poſſidetur à Rege, Aliquis equus non poſſidetur à Rege: Petrus eſt animal, Petrus non eſt animal album: Omnis homo eſt omne animal, Homo non eſt animal. Dixi, de terminis qui efficiuntur partes extremorũ: alia enim ſigna, quæ totam propoſitionem ſignant, mutantur: nã negatio mutatur, & quantitas in aliquibus. In tempore, & loco, vt oppoſitarum veritas, vel falſitas, ſumatur à rebus ſecundũ eundem locum, & tempus: vnde iſtæ non opponũtur, Petrus legit, Petrus non legit, ſi vna pro tempore, altera pro altero tempore ſumatur: nec iſtæ, Ego ſum in Diui Petri, Ego non ſum in Diui Petri, ſi vna vno loco, altera altero à me proferatur.

Identitas terminorum in homine.
In re ſignificata.
In integritate.
In tempore & loco.

3 TERTIO obſeruandum eſt, vt proprietates terminorũ non mutẽtur, ſcilicet Suppoſitio, Appellatio, & reliquę. Suppoſitio autem ea, quæ non prouenit ratione ſignorũ quantitatis: hæc enim mutari debet: ſed alia, qualis eſt, Materialis, Simplex, Perſonalis, ne in vna ſimpliciter, in altera perſonaliter, vel materialiter ſupponant. Idem in Ampliatione, ſi ſeruetur eadem Ampliatio: licebit tamẽ in Contraria negatiuã terminos magis amplos eſſe, quàm in affirmatiua: vnde iſtæ opponuntur, Omnis homo diſputat, Nullus homo poteſt diſputare. In Subcontrariis verò affirmatiuã magis ampliari, vt, Homo non

diſputat,

diſputat, Homo non poteſt diſputare.

Debet etiam attendi, vt ſeruentur præcepta Reſolutionis terminorum, & ordo aſcendendi, vel deſcendendi, idem ſit in vtraque oppoſita propoſitione. *Regula alia de Oppoſitione.*

De quibuſdam præceptis aliis in Oppoſitione.

CAP. XIII.

Praeter ea quæ dicta ſunt, obſeruandum eſt etiam, vt in omni Oppoſitione, præter Subalternam, mutetur qualitas, vt altera ſit affirmatiua, altera negatiua. Quantitas autem non in omni mutãda eſt, niſi in Cõtradictoria, & Subalterna, vt altera vniuerſalis, altera particularis ſit: Contrariæ enim vniuerſales ſimul, Subcõtrariæ verò particulares eſſe debent. 1.

Hoc etiam ſeruandum eſt in vniuerſalitate ſyncategorematica, qualis eſt cõiunctio copulatiua, *Et*, ac in particularitate, qualis eſt, *Vel*. Quando enim complexum copulatum eſt ſubiectum, in ſua Contraria propoſitione manet ipſa copula copulatiua, in ſua verò Contradictoria mutatur in, *Vel*; vnde iſtæ ſunt Cõtrariæ, Petrus, & iſte equus eſt irrationalis, Petrus & iſte equus non eſt irrationalis: iſtæ verò Contradictoriæ, Petrus & iſte equus eſt irrationalis, Petrus vel iſte equus non eſt irrationalis. Quando verò vtrunque complexum eſt per *Vel*, propoſitiones ſunt Subcontrariæ. Hoc autem intelligendum eſt, quando, *Et*, accipitur diuiſiuè, &, *Vel*, diſiunctiuè, & complexa conſtant ex partibus ſingularibus. Quando enim copulatim, vel diſiunctim accipiuntur, habentur tales propoſitiones pro ſingularibus, inter quas ſicut & inter ſingulares non eſt niſi ſola Oppoſitio Contradictoria: & talia ſubiecta inuariata debent manere, quod idem cenſendum eſt de propoſitionibus de ſigno Collectiuo. Vnde hæ ſolùm opponuntur contradictoriè, Omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim, Omnes Apoſtoli Dei non ſunt duodecim. Similiter iſtæ, Iſti Apoſtoli, & iſti, & alij ſunt duodecim, Iſti Apoſtoli, & iſti & alij non ſunt duodecim. 2.

Praeterea obſeruandũ eſt, vt in ſignis mixtis habeatur ratio categorematis incluſi in illis quantùm ad eius quãtitatem, vt mutentur in Cõtradictoria, vniuerſale in particulare, affirmatum in negatum, in Contraria ſeruetur vniuerſalitas, in Subcontraria verò particularitas. Vnde huius propoſitionis, Nunquam homo currit, Contraria eſt, Semper omnis homo currit; Contradictoria verò, Aliquando homo currit. 3.

Postremo obſeruandũ eſt, eſſe aliquot ſigna etiã mixta, & ſyncategorematica, quæ non plenam habeant vniuer- 4.

ſalita

ſalitatem, nec particularitatem, ac inde Incõpleta dicuntur: & in talibus propoſitionibus Contradictoria maximè reperitur Oppoſitio. Cauere autem oportet, vt in vna propoſitione fiat vniuerſale, quod in altera erat particulare: aliter nulla erit Oppoſitio: Vnde iſtæ non opponuntur, Vterque homo currit, Vterque homo non currit, ſeu, Neuter homo currit, cùm in vtraque maneat eadem vniuerſalitas, & particularitas, cùm ſignũ vtrunque per, *Et*, & per, *Vel*, exponatur, vt diximus. Iſtæ tamen contradicunt, Vterque oculus eſt dexter, Alter oculus non eſt dexter, quia id quod in vna exponitur per, *Vel*, in altera exponitur per, *Et*: & ita particularitas in vniuerſalitatem, & è cõtrà mutatur, vt patet exponenti. Idem iudicandum eſt de nominibus & aduerbiis numerabilibus, quæ incompletè vniuerſalia ſunt: ac proinde optimus contradicendi modus eſt toti propoſitioni negationem apponere, Bis cantaui Miſſam, Non cantaui bis Miſſam: Tres homines currunt, Non currunt tres homines. Complexa autem ex termino communi, vel ex terminis communibus, penſanda ſunt tanquam termini cõmunes in Contrarietate, & Cõtradictione, & aliis oppoſitionibus. Propterea eis debet addi ſignum vniuerſale, vel particulare, hoc vno excepto, vt in Contrariis maneat, *Et*, in Cõtradictoriis verò in vna, *Vel*, in altera, *Et*, in vtraque Subcontraria, *Vel*: vnde iſtæ ſunt Cõtrariæ, Omnis homo, & equus currit, Nullus homo, & equus currit; iſtæ Cõtradictoriæ, Homo & equus currit, Nullus homo vel equus currit; iſtæ Subcontrariæ, Homo vel equus currit, Homo vel equus non currit. Hoc intellige de ſubiecto: nam verbum complexum non debet mutari, Omnis homo currit, vel non currit, Nullus homo currit, vel non currit, ſunt Contrariæ, nec oportet mutare illud, *Vel*, Ex his non difficile erit Oppoſitiones in propoſitionibus Hypotheticis inuenire: cùm enim quantitatem non habeant, ſolam Contradictoriam ſortiuntur Oppoſitionem, quæ facilis eſt in Conditionali, & Cauſali per negationis appoſitionem, vt, Si ſol lucet dies eſt, Non ſi ſol lucet dies eſt; Quia æſtas eſt, calor eſt, Nõ quia æſtas eſt, calor eſt. In Diſiũctiua verò & Copulatiua eſt particularis alius contradicendi modus. Nam Diſiũctiua, & Copulatiua ex partibus contradicentibus compoſitæ inter ſe contradicunt. Iſtæ enim Contradictoriæ ſunt, Nullus homo eſt animal, & Nullus equus eſt albus; Homo eſt animal, vel, Equus eſt albus. Poſſent etiã inter has Contrariæ, & Subcontrariæ ſecundum partes aſſignari, ſed id intelligenti quæ dicta ſunt, facere non erit difficile.

De legi

De legibus Oppoſitarum.
CAP. XIIII.

HAEC autem lex, & natura Contradictoriarum eſt, vt in nulla materia vtraque ſimul vera, aut falſa eſſe poſſit, ſed ex vnius veritate alterius falſitas, & ex falſitate veritas ſequatur. Contrariarum lex eſt, vt in materia naturali, & remota altera vera, altera falſa neceſſariò ſit: in materia contingenti vtraque falſa eſſe poſſit, nunquam tamen vera: vnde ex vnius veritate alterius falſitas colligitur, quia vtraque vera nequit eſſe: tamen ex vnius falſitate alterius veritas non infertur, cùm vtramque falſam eſſe formaliter non repugnet. *Lex & natura Contradictoriarum.* *Contrariarum.*

SVBCONTRARIARVM lex, in materia naturali, & remota eadem eſt cum aliis, in materia verò contingenti vtraque vera formaliter eſſe poteſt, non tamen falſa; vnde ex vnius falſitate alterius veritas, non tamen ex alterius veritate alterius colligitur falſitas. *Subcontrariarum.*

SVBALTERNARVM lex eſt, vt in materia naturali & remota ſimul veræ, vel falſæ ſint: in materia verò cõtingẽti altera vera, altera falſa poteſt eſſe, ita tñ vt ſi vniuerſalis eſt vera, particularis ſit falſa, at ſi particularis falſa, vniuerſalis ſit falſa, non contrà: poteſt enim particularis eſſe vera, & vniuerſalis falſa. *Subalternarum.*

SVNT autẽ aliquot Regulæ pro vſu & cognitione Oppoſitarum propoſitionum Prima Regula; Propoſitis duabus propoſitionibus Oppoſitis, ſi Subalternans vnius eſt Contraria alterius, illæ ſunt Contradictoriæ: verbi gratia, Omnis homo eſt albus, Homo non eſt albus, ſunt Contradictoriæ; nam Subalternans illius negatiuæ, quæ eſt iſta, Nullus homo eſt albus, eſt Contraria prioris, ſcilicet, Omnis homo eſt albus. Perinde eſt, ac ſi dicamus, in Contradictoriis Subalternans particularis eſt Contraria propoſitionis vniuerſalis. *Regula cognoſcendarum oppoſitarum.* *1. Contradictoriarum.*

SECVNDA Datis duabus Oppoſitis, ſi affirmatiua inferat Contradictoriam negatiuæ, nec inferatur ab ea, illę ſunt Contrariæ, ac ſi dicas, Contraria affirmatiua infert Contradictoriam negatiuæ: Omnis homo eſt albus, Nullus homo eſt albus, illa affirmatiua infert hanc, Homo eſt albus, quæ eſt Contradictoria negatiuæ illius. *2. Contrariarum.*

TERTIA. Si ex Contradictoria negatiuę ſequatur affirmatiua, illæ ſunt Subcõtrariæ, Homo eſt albus, Homo nõ eſt albus, ex Cõtradictoria huius negatiuæ, quæ eſt, Omnis homo eſt albus, ſequitur illa affirmatiua, Homo eſt albus, & nõ cõtrà. Propterea illæ ſunt Subcontrariæ, perinde eſt ac ſi dicatur, Contradictoria Subcontrariæ infert aliam Subcontrariam. *3. Subcontrariarũ.*

QVAE

4. Subalternarum. QVARTA. Si Contradictoria vnius eſt Cõtraria vel Subcontraria alterius, illæ ſunt Subalternæ, vt, Omnis homo eſt albus, Aliquis homo eſt albus. Contradictoria particularis eſt Contraria vniuerſalis, & Contradictoria vniuerſalis eſt Subcontraria particularis, ac propterea illæ ſunt Subalternæ.

De Æquipollentia.

CAP. XV.

Æquipollentia. *Vtilitas Æquipollentiæ.* AEQVIPOLLENTIA, eſt duarum propoſitionum vtroque extremo eodem ordine participantium vis eadem à variis ſignis proueniens. Vnde tales propoſitiones ſe mutuò inferunt: prodéſtque hoc ad obſcuras propoſitiones in clariores reſoluendas.

Regulæ de Æquipollentia. *1. Contradictoriarum.* SVNT autem aliquot Regulæ obſeruandæ. Prima Regula. Datis duabus Contradictoriis, cuicunque præponatur negatio, fit alteri æquipollens. Verbi gratia, Omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus, ſi priori addas negationem & dicas, Non omnis homo eſt albus, æquiualet illi, Aliquis homo non eſt albus: ſi huic addas negationem, Non aliquis homo non eſt albus, æquiualet huic, Omnis homo eſt albus. Vſus huius regulæ eſt, Quando tibi oblata fuerit propoſitio habens præpoſitam negationem, cuius vis tibi ignota eſt, deme negationem, & quære illius Contradictoriam, nam huic æquipollebit cum illa negatione præpoſita.

2 Contrariarum. SECVNDA. Datis duabus Contrariis, cuicũque poſtponatur negatio, fit alteri æquipollens. Nullus homo eſt albus, Omnis homo eſt albus: ſi dicas, Nullus homo non eſt albus, æquiualebit huic, Omnis homo eſt albus: ſi dicas, Omnis homo non eſt albus, æquiualebit alteri, Nullus homo eſt albus. Huius regulæ idem eſt vſus, ſicut qui & primæ.

3. Subalternarum. TERTIA. Datis duabus Subalternis, cuicunque præponatur & poſtponatur negatio, alteri æquipollet. Omnis homo eſt albus, Homo eſt albus: ſi dicas, Nõ omnis homo nõ eſt albus, æquipollet huic, Aliquis homo eſt albus: ſi autem dicas, Non aliquis homo nõ eſt albus, æquipollet huic, Omnis homo eſt albus. Idem in his, Nullus homo eſt albus, Homo non eſt albus: Si enim dicas, Non nullus homo non eſt albus, æquipollet, Aliquis homo non eſt albus: particulari verò huic non congruè addes duas negationes. Huius pariter Regulæ idem eſt vſus, qui & aliarum.

Negationis virtus. EST autẽ hæc negationis virtus, vt cadens ſupra terminum ſupponẽtem vniuerſaliter, faciat eum ſupponere particulariter, & cadens ſupra particulariter ſupponentem, faciat eum

ſuppo

ſupponere vniuerſaliter, affirmatum neget, negatũ affirmet: vnde, Non omnis æquiualet, Quidam non, Non nullus, Quidam; Non aliquis, Nullus; Omnis non, Nullus; at, Nullus nõ, Omnis Quando ex his vltimis vnum cadit ſupra ſubiectum, alterum ſupra prædicatum, vt, Omnis homo non eſt albus, Nullus homo non eſt albus.

Paritas, & imparitas negationum.

Ex hoc ſequitur, ꝙ paritas negationum virtute affirmat, imparitas negat, quando partes extremorum non afficiuntur, & tunc tertia negatio exercet ſuam virtutem poſt ſe, ſicut ſi nulla præceſſiſſet. Aliquando Rhetores ornatus cauſa, & vt magis negantes explicent affectum, ſolent negationes multiplicare, præſertim quando plura nomina ad vnum verbum referuntur, quorum vnum ab altero non pendet, ita vt cùm ſingulis verbum accipi poſſit, & tunc talis propoſitio negatiua eſt cenſenda, nec ex his ſtrictis Dialecticorum Regulis eſt penſanda: vt, Iſte non veretur Deum neque homines, Nullus homo, nullo loco, nullo tempore, nullo momento quieſcit, id eſt, Nullus homo, aliquo tempore, loco, aliquóve momento quieſcit.

Rhetores multiplicant negationes.

De Conuerſione.

CAP. XVI.

Conuerſio.

CONVERSIO, eſt duarũ propoſitionũ vnius ad alteram per extremorum trãſpoſitionẽ conſequentia neceſſaria: cuius antecedens dicitur Propoſitio cõuerſa, conſequens autem Propoſitio conuertens. Nec oportet ſit mutua inter eas cõſequentia: hæc enim cõuerſio eſt, Omnis homo eſt animal, ergo animal eſt homo. Non ſemper tamen valet contrà à cõuertente ad conuerſam, vt ſi conuertatur, Omnis homo eſt albus, ergo aliquod album eſt homo, non tamen cõtrà valet, Aliquod album eſt homo, ergo omnis homo eſt albus.

Conuerſionum ſpecies tres.

1. Simplex

CONVERSIONIS tres ſunt ſpecies. Prima eſt Conuerſio ſimplex, quæ in terminis dici ſolet, quãdo ex prædicato ſubiectũ, & ex ſubiecto prædicatum fit, eadem quantitate extremorum, & qualitate ſeruata: quo pacto vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua in ſe ipſas conuertuntur, vt, Nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo. Homo eſt animal, ergo animal eſt homo. Secunda ſpecies eſt, quando extrema mutantur manente qualitate, mutata tamen quantitate, quæ conuerſio in parte dici ſolet: quo modo vniuerſalis affirmatiua & negatiua conuertuntur, vt, Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo, Nullus homo eſt lapis, ergo lapis non eſt homo. Tertia ſpecies conuerſionis eſt, Per con-

2. In parte.

3. Per contrapoſitionem.

trapoſitionem, quando manente eadem quantitate propoſitionis,& qualitate,extrema tranſmutantur,non ſolùm quantùm ad ordinem,ſed etiam quia ex finitis fiunt infinita: quo modo vniuerſalis affirmatiua in vniuerſalem affirmatiuam, & particularis negatiua in particularem negatiuam conuertũtur,vt,Omnis homo eſt animal,ergo omne non animal eſt non homo, Homo non eſt lapis, ergo non lapis non eſt non homo. In hac autem Conuerſione illud obſeruandum eſt, vt in Conuerſione affirmatiuæ ponatur Conſtantia conuertentis:non enim ſequitur, Omnis homo eſt ens,ergo omne non ens eſt non homo,prior namque eſt vera,poſterior falſa,quia ſubiectum non ſupponit, & eſt affirmatiua. In negatiua autẽ ponatur Conſtantia ſubiecti conuerſæ: non enim ſequitur, Antichriſtus non eſt bonus, ergo aliquid non bonum non eſt non Antichriſtus; nam iſta poſterior vera nõ eſt:cùm cuncta, quæ modò bona non ſunt, ſint non Antichriſtus: quòd ſi Antichriſtus modò eſſet,& ſupponeret iſte terminus, eſſet vera, Aliquod non bonum,ſcilicet ipſe Antichriſtus, non eſt non Antichriſtus.

Cautio in Conuerſione Per cõtrapoſitionem.

Solent autem iſtæ Conuerſiones his carminibus exprimi.

Verſus de Conuerſione.

Simpliciter Feci,conuertitur Eua per acci.
Aſto per contra,ſic fit conuerſio tota.
Aſſerit,A,negat,E,ſunt vniuerſaliter ambæ.
Aſſerit I,negat,O,ſunt particulariter ambæ.

Literæ enim denotãt propoſitiones conuertendas: per, A, intelligitur vniuerſalis affirmatiua, per, E, vniuerſalis negatiua, per, I, particularis affirmatiua, per,O, particularis negatiua.

Regulæ de Conuerſione.

Circa hæc aliqua cõmuniter obſeruanda ſunt. Primò,In Conuerſione accipiatur totale extremum: vnde quando expreſſum non eſt,debet fieri reſolutio,vel quando aptè fieri nõ poteſt, debet fieri aliqua circunlocutio. Iſte liber eſt Ariſtotelis,ergo aliquod ens Ariſtotelis eſt iſte liber, Nullus homo eſt omnis homo,ergo nihil,quod ſit omnis homo, eſt homo, Ceruus velociter currit,Currens velociter eſt ceruus.

1.

2. Secundo, obſeruari debet genus ſuppoſitionis, vt non mutetur ex ſimplici in perſonalem, vel ex materiali in aliam quamuis:vnde non valet, Homo eſt nomen,ergo nomen eſt homo, Leo eſt ſpecies, ergo ſpecies eſt leo, niſi ſit eadem ſuppoſitio.

3. Tertio, obſeruetur eadem ampliatio: non enim valet, Senex fuit iuuenis, ergo iuuenis fuit ſenex: ſed debet aliquid

aſſumi

ſumi ad ſeruandam terminorum ampliationem,ſcilicet,Il-
qui fuit iuuenis, eſt vel fuit ſenex: Baſilica incipit eſſe,
on valet, Aliquod incipiens eſſe eſt Baſilica, ſed, Aliquod
cipiens eſt vel erit Baſilica. Similiter conuertatur; Adam
t prior Antichriſto, ergo aliquod prius Antichriſto eſt vel
it Adam.

OBSERVANDA eſt etiam appellatio,ſi qua occurrerit. 4.

FINIS SECVNDI LIBRI.

INTRODVCTIONIS IN DIALECTICAM ARISTOTELIS,

LIBER TERTIVS.

De Modalibus, & Exponibilibus.

Quid, & quotuplex Modus,& Enunciatio Modalis.

CAP. I.

DE Enunciationibus abſolutè prædicatum in-
eſſe ſubiecto enunciantibus,paritérq; de com-
poſitis,& earum omnium proprietatibus huc-
uſque egimus: nunc de ſimplicibus quibuſ-
dam Enunciationibus prædicatum cum ali-
quo modo enunciantibus, quas Modales vo- *Modalium*
ant,diſſeramus. Circa eas autem tria oportet ſpeculari,earũ *accidẽtia.*
ciliçet Aequipollentiam, Oppoſitionem, & Conuerſionem:
on enim in his aliarum eadem obſeruantur præcepta, & le-
es.Eſt autem Modus,parti,vel toti propoſitioni adiacens de- *Modus.*
erminatio:Modi enim non aliud ſunt, quàm limitationes, &
oarctationes eorum, quæ communia, & indifferentia ſunt.
Qui enim dicit, Homo diſputat, indeterminatè profert ho-
minem;at cùm dicitur,Homo albus diſputat, iam ratione il-

lius adiecti ſubiectum reſtrictum eſt; tale enim adiectum Modus dicitur.

Modus duplex.

MODVS duplex eſt. Alter, qui additur parti propoſitionis, nempe nomini, aut verbo, quales ſunt obliqui caſus, & adiectiua nomina, quæ Modi ſunt nominum: ſimiliter aduerbia verborum ſignificationes determinantia, quorum præcipua conſideratio grammatica eſt. Alter Modus, eſt ipſius propoſitionis compoſitionem determinans, vt verum, falſum, contingens: dicimus enim, Hominem eſſe animal verum eſt, Hominem currere contingens eſt: qui Modi totam ipſam propoſitionem veram, vel contingentem eſſe determinant. Et quamuis multi huiuſmodi Modos Enunciationes Modales, de quibus eſt conſideratio, conſtituere exiſtimauerint, tamen adhuc inter huiuſmodi Modos diſtinguendum videtur: ſunt enim quidam Enunciationis compoſitionem ita determinantes, vt ſimul etiam eiuſdem Enunciationis materiam determinent ac indicent: & de huiuſmodi præſens eſt diſputatio.

Modus vt hic conſideratur.

Modus triplex, ſeu etiã quadruplex

EST igitur Modus qualiter hîc cõſideratur, vox ſignificatiua, Enunciationis compoſitionẽ ratione materiæ determinans Cùm autẽ triplex ſit materia, vt ſuperiùs diximus, Neceſſaria, Remota, Contingens: triplex etiã Modus erit, nempe Neceſſarium, Impoſſibile, Contingens: nã etſi ponatur quartus, ſcilicet Poſſibile, re tamen cum Contingenti idem eſt. En igitur, quid Modus, & quotuplex ſit.

Modalis Enunciatio.

Modorum duplex vſurpatio.

MODALIS autẽ Enunciatio, eſt quæ aliquo ex his Modis eſt determinata: quę pari ratione triplex eſt ſecundùm modorũ numerum, ſeu potiùs quadruplex, ſi Modi ſecundùm vocem conſiderentur. Eſt autem obſeruandum, Modos dupliciter vſurpari: vno modo aduerbialiter, nempe cùm dicimus, Homo impoſſibiliter eſt lapis, Deus neceſſariò eſt vnus, Petrus contingenter, ſeu poſſibiliter diſputat: altero modo nominaliter, vt, Hominem diſputare eſt contingens, Deum eſſe vnum eſt neceſſarium. Eſt autem diſcrimen: cùm enim nominaliter ſumuntur, locum habent prædicati, & quæ ſimplex erat Enunciatio in infinitiuum mutatur, & vnius habet ſubiectirationem: vt ſi dicas, Hominem diſputare eſt contingens, vna eſt Enunciatio Categorica, cuius ſubiectum totum illud eſt, Hominem diſputare, quod dici ſolet, Dictum: prædicatum autem reſiduum eſt, ſcilicet, Eſt contingens, quod dicitur Modus: & pari ratione in aliis huiuſmodi. Cùm verò aduerbialiter tenetur Modus, Enunciationis forma non muta

utatur, vt ſi dicas, Homo neceſſariò eſt animal, Equus poſ-ſibiliter eſt albus. *Modi, vtcunque ſumatur duplex in Enunciatione conſtitutio.*

VTCVNQVE autem, ſiue nominaliter ſiue aduerbialiter modus ſumatur, bifariam in Enunciatione conſtituitur: vno modo intra ipſius extrema, ſeu intra partes dicti, vt, Homo poſſibiliter diſputat, & Hominem poſſibile eſt diſputare: altero autem modo extra totam Enunciationem vel dictum, ſiue antè, ſiue pòſt, vt, Poſſibiliter homo diſputat, vel, Homo diſputat poſſibiliter: ſimiliter, Poſſibile eſt hominem diſputare, vel, Hominem diſputare eſt poſſibile. Idem de aliis cenſendum eſt Modis.

SOLET autem à quibuſdam non parùm diſcriminis inter iſta aſſignari. Cùm enim Modus, ſiue nominalis, ſiue aduerbialis medius eſt, Modalem diuiſam, cùm verò extra eſt, Modalem compoſitam facit. Eſt autem Modalis diuiſa, in qua prædicatum denotatur ineſſe ſuppoſito ſubiecti, quod maximè terminis connotatiuis accidit: vt ſi dicas, Album poſſibiliter eſt nigrum, ſenſum diuiſum facit, nempe, Corpus illud, quod album eſt, poſſe eſſe nigrum, ſed diuiſè, id eſt, non vt quando album eſt, nigrum ſit. Similiter idem ſenſus eſt in iſtis, Calidum contingenter eſt frigidum, Ambulantem poſſibile eſt ſedere, Scribentem contingit non ſcribere: in quibus omnibus prædicata ſuppoſitis, ſeu materialibus ſubiectorum conuenire denotantur. Modalis compoſita, eſt in qua partes dicti, vel Enunciationis etiam ſecundùm ſua formalia ſignificata ſimul vniuntur: vt, Ambulantem ſedere eſt impoſſibile, ſenſus compoſitus eſt, nempe impoſſibile eſſe, quòd ambulans, dum ambulat, ſedeat. Idem ſenſus eſt in aliis, ſcilicet, Calidum eſſe frigidum impoſſibile eſt dum calidum eſt, ſeu, Impoſſibiliter calidum eſt frigidum, Contingenter album eſt dulce. At quamuis iſta diſtinctio ſenſus compoſiti, & diuiſi ſit veriſſima, & tales Enunciationes hoſce ſenſus admittere recipiendum ſit, non tamen refert (quantùm exiſtimo) quòd Modus in medio, vel extrà ponatur, ſed vtcunque collocetur, vtrunque ſenſum admittit, ac ideò diſtinguenda ſemper potiùs eſt: quamuis ſi vires conſulamus, modus in medio conſtitutus, ſenſum diuiſum facere videbitur: ſed id non ſemper eſt, nec in Ariſtotele habet fundamentum. *Modorum conſtitutionu diſcrimen.* *Modalis diuiſa.* *Modalis compoſita.*

De Qualitate, & Quantitate Modalis.

CAP. II.

DE Enunciatione de Modo aduerbiali nunc prætermiſſa poſteà dicemus. Interim de ea, quæ Modo conſtat nominali tractemus, ac primùm de eius qualitate, poſteà verò de quantitate.

Regulæ de qualitate ſeu veritate & falſitate Modalium.

MODALIS igitur, & vera, & falſa dicitur. Eius tamen veritas & falſitas ſecundùm Modi naturam penſanda eſt, & non ſolùm ab eo, quòd res eſt, vel non eſt ſimpliciter: quod hiſce regulis fiet manifeſtum.

1. De Neceſſario.

PRIMA Modalis de Neceſſario vera eſt, cuius dictum reducitur ad propoſitionem neceſſariam: vnde iſta, Hominem eſſe animal eſt neceſſe, vera eſt, quia dictũ illud reducitur ad propoſitionem hanc neceſſariam, Homo eſt animal. Falſa autem eſt, cùm eius dictum reducitur ad propoſitionem vel impoſſibilem, vel contingentem: iſtæ enim falſæ ſunt, Hominẽ non eſſe animal eſt neceſſe, &, Equum eſſe album eſt neceſſe; ipſarum enim dicta ad propoſitiones reducuntur, quarum altera eſt impoſſibilis, ſcilicet, Homo non eſt animal, & altera contingens, quamuis vera ſit, ſcilicet, Equus eſt albus. Tales autem propoſitiones, in quas dicta reducuntur, dicuntur propoſitiones De ineſſe.

Propoſitionis De ineſſe.

2. De Impoſſibili.

SECVNDA Regula. Enunciatio de Impoſſibili eſt vera, cuius de ineſſe, nempe illa propoſitio, ad quam dictum reſoluitur, eſt impoſſibilis. Vnde iſta vera eſt, Hominem eſſe equum eſt impoſſibile, cùm reducatur in illam, Homo eſt equus, quæ eſt impoſſibilis. Illa verò falſa eſt, cuius de ineſſe vel eſt neceſſaria, vel contingens: ob quam rationem iſtæ falſæ ſunt, Hominem eſſe animal eſt impoſſibile, &, Equum eſſe album eſt impoſſibile.

3. De poſſibili & Contingenti.

TERTIA Regula Enunciatio de Poſſibili vera eſt, cuius de ineſſe non eſt propoſitio impoſſibilis, ſiue ſit neceſſaria, ſiue ſit contingens: vnde iſtæ veræ ſunt, Hominem eſſe animal eſt poſſibile, Equum eſſe album eſt poſſibile, licèt de præſenti nullus equus ſit albus. vnde aduerte, illud in præſenti dici poſſibile quod poteſt eſſe, ſiue ſit, ſiue non ſit, ſiue poſſit non eſſe, ſiue non poſſit non eſſe. Illa autem falſa eſt, cuius de ineſſe eſt propoſitio nec neceſſaria, nec contingens, ſed impoſſibilis: iſtæ namque falſæ ſunt, Hominem non eſſe animal eſt poſſibile, &, Equum eſſe canem eſt poſſibile; vtrunq; enim

horum

orum impoſſibile eſt. Pro Contingenti verò non conſtituitur alia regula præter hanc eandem de Poſſibili, quia Contingens, vt hic cõſideratur, inter Modos idem re ſignificat quod poſſibile, vt inferiùs dicemus.

In his autem propoſitionibus de ineſſe vnum attendi debet, vt ſeruetur idem tempus in ipſis, quod erat in dictis; vt in iſta, Petrum cucurriſſe eſt contingens, reducenda erit in hanc de ineſſe, Petrus cucurrit. Similiter in aliis temporibus. *Notabile in propoſitionibus De ineſſe.*

Has tres regulas, de compoſitis oportet intelligere; diuiſæ enim priùs reſoluendæ ſunt ratione connotationis ſubiecti, vt, Hoc album poſſibile eſt eſſe nigrũ, reſoluatur, Hoc, quod eſt vel poteſt eſſe album, poſſibile eſt eſſe nigrum, cum ampliatione ſemper extremorum, poſteà reducatur ad ſuam de ineſſe cum materiali ſubiecti, ſcilicet, Hoc eſſe nigrum eſt poſſibile. Idem in aliis Modis, ſi enim ad ſuam de ineſſe reſolueretur, immediatè eſſet falſa, ſcilicet, Album eſſe nigrum eſt poſſibile: & tamẽ illa diuiſa vera erat. Præterea diuiſa priùs debet reſolui in ſingulares, quando eſt de ſubiecto communi, & poſteà ſingulares ad de ineſſe reduci poſſunt. *Superiores tres Regulæ de Modalibus cõpoſitis intelligendæ.*

Qvarta Regula. Modales omnes ſunt veræ neceſſariæ, falſæ autem impoſſibiles, nunquam contingentes ſunt. Quamuis enim dicta Modalium aliqua neceſſaria, aliqua impoſſibilia, aliqua contingentia reperiãtur, tamen ipſæ Modales ſi veræ, neceſſariæ, ſi falſæ, impoſſibiles ſunt; vnde iſta neceſſaria eſt, Equũ eſſe album eſt cõtingens, quia ita eſt, nec poteſt aliter eſſe, quin ſit contingens, equum eſſe album; iſta autẽ eſt impoſſibilis, Equum eſſe album eſt neceſſarium; & iſta, Hominẽ eſſe doctum eſt impoſſibile, pariter eſt impoſſibilis. Ex quo fit, vt aliud ſit propoſitionem eſſe neceſſariam, & aliud eſſe de Modo neceſſario: poteſt enim eſſe propoſitionem eſſe neceſſariam, & de Modo contingenti, vt diximus, & ſimiliter eſſe impoſſibilem, & de Modo neceſſario: tunc enim dicitur de Modo neceſſario, vel de Modo contingenti, quando cum talibus Modis enũciatur, ſiue ſit vera, aut falſa, neceſſaria, vel impoſſibilis. *4. de Modalibus omnibus.* *Propoſitio Neceſſaria, & de Modo neceſſario; differunt.*

Inter haſce Modales quædam Affirmatiuæ, quædam Negatiuæ etiam reperiuntur: earum tamen negatio vel affirmatio non à dicto, ſed à copula ipſius Modi petenda eſt; Vt illa eſt Affirmatiua, cuius copula Modi affirmata eſt, quantumcunque dictum affirmetur vel negetur: iſtæ enim affirmatiuæ ſunt, Hominem non eſſe animal eſt impoſſibile, Petrum currere eſt contingens, & ſimiles. Illa verò Negatiua eſt, cuius *Modalis affirmatiua.*

e 4 copula

Modalis negatiua. copula Modi negatur, quantuncunque dictum affirmetur, vel negetur: iſtæ enim Negatiuæ ſunt, Hominem currere non eſt impoſſibile, Equum non eſſe album non eſt neceſſe, & aliæ huiuſcemodi.

De duplici quantitate Modalium. IN Modalibus etiam quantitas ineſt: quædam enim eſt Vniuerſalis, quædam Particularis. Dupliciter autẽ in his quantitas ſumi poteſt. Altero modo ex parte ipſius Modi: vt illa ſit *Ex parte modi.* Vniuerſalis, quę Modum habet vniuerſalem, illa Particularis, quæ Modum ſortitur particularem. Sunt autem Modi vniuerſales duo, Impoſſibile, & Neceſſe: duo autem particulares, Contingens nempe, & Poſſibile. Altero modo ex parte dicti: *Ex parte dicti.* quod ſi fuerit vniuerſale, & Modalis dicetur Vniuerſalis. Similis eſt ratio, ſi fuerit particulare, indefinitum, aut ſingulare. At quamuis duplex hæc quantitas in Modalibus inueniatur, præcipuè tamen in Oppoſitione, & Aequipollentia earum, habenda ſit ratio quãtitatis Modi: ac propterea cenſenda eſt Vniuerſalis, quę Modum habet vniuerſalem, quantuncunque dictum ſit ſingulare. Econtrà Particularis erit, quæ Modum habet particularem, quantuncunque dictum ſit vniuerſaliter ſumptum.

De Modalium Aequipollentia.

CAP. III.

CVM igitur quatuor ſint Modi, etiam erunt propoſitiones Modales ſecũdùm genus, quædam de Poſſibili, quędam de Contingenti, quędam de Impoſſibili, quædam de Neceſſario. *Contingens dupliciter accipi.* Contingẽs autem dupliciter accipitur: vno modo, vt opponitur Neceſſario, vt idem ſit Contingens, & id quod poteſt eſſe, & non eſſe: altero modo, vt idem dicatur quod Poſſibile, ſcilicet quod poteſt eſſe; & ſic eſt ſuperius ad Neceſſarium: quod enim Neceſſariũ eſt, poteſt eſſe, non tamen omne quod poteſt eſſe, eſt Neceſſarium. Et ſic ſumitur in præſenti iſte Modus, non priori modo: vnde ſe non differunt Contingens & Poſſibile, ſed voce tantùm.

Singularũ quatuor Modalium totidẽ ſpecies. QVAELIBET autem harũ quatuor propoſitionũ quatuor habet ſub ſe ſpecies. Prima eſt, in quà Dictum & Modus affirmantur, vt, Petrũ currere eſt poſſibile, Petrum currere eſt cõtingens, Petrũ currere eſt impoſſibile, Petrum currere eſt neceſſe. Altera eſt, in qua dictum negatur, & Modus affirmatur, vt, Petrum non currere eſt poſſibile, Petrum non currere eſt contingens, Petrum non currere eſt impoſſibile, Petrum non currere eſt neceſſe. Tertia eſt, in qua dictum affirmatur, &

Modus

Modus negatur, vt Petrum currere non eſt poſſibile: & ſic cōſequenter in aliis Modis. Quarta eſt, in qua vtrumque negatur, vt, Petrū non currere non eſt poſſibile: idem in aliis. Quæ omnes propoſitiones ſequens tibi figura manifeſtat, vbi ſingulę ſecundum ſuos Modos collocantur in ſingulis quadrangulis.

POSSIBILE.	CONTINGENS.
Petrum currere eſt poßibile.	*Petrum currere eſt contingens.*
Petrum non currere eſt poßibile.	*Petrum nō currere eſt contingens.*
Petrum currere non eſt poßibile.	*Petrum currere nō eſt contingens.*
Petrū nō currere non eſt poßibile.	*Petrū nō currere nō eſt contingēs.*

IMPOSSIBILE.	NECESSE.
Petrum currere eſt impoßibile.	*Petrum currere eſt neceſſe.*
Petrū non currere eſt impoßibile.	*Petrum non currere eſt neceſſe.*
Petrū currere non eſt impoßibile.	*Petrum currere non eſt neceſſe.*
Petrū nō currere non eſt impoßib.	*Petrū non currere non eſt neceſſe.*

His conſtitutis aduertendum eſt, ſingulas vnius Modi habere ſingulas aliorum Modorum æquiualentes: vna enim de Poſſibili, quæcunque ſit, habet alteram de Contingenti, & aliam de Impoſſibili, & aliam de Neceſſario ſibi æquipollentes. Idem etiam fit in aliis aliorum Modorum. Quæ tamen propoſitiones æquipolleant, ſequentibus Regulis manifeſtabitur, quæ licèt de vno Modo ſint, per eum tamen reliqui cognoſcuntur. *Modaliū æquipollentia, & decē Regulæ in vno Modo de Poßibili.*

Prima Regula. Propoſitio de Poſſibili vtroque affirmato, æquiualet vni de Cōtingenti vtroque affirmato, & alij de impoſſibili de Modo ſolùm negato, & alij de Neceſſario de vtroque negato: & ſic omnes hæ quatuor propoſitiones ſunt æquipollentes, Petrum currere eſt poſſibile, Petrum currere eſt contingens, Petrum currere non eſt impoſſibile, Petrum non currere non eſt neceſſe.

Secunda Regula. Propoſitio de Poſſibili de dicto ſolùm negato, æquiualet vni de Contingenti de dicto ſolùm negato, & vni de Impoſſibili de vtroque negato, & vni de Neceſſario de Modo ſolùm negato: vnde hę quatuor æquiualent, Petrum non currere eſt poſſibile, Petrum non currere eſt cōtingens; Petrum non currere non eſt impoſſibile, Petrum

currere non eſt neceſſe.

3 TERTIA regula. Propoſitio de Poſſibili de Modo ſolùm negato, æquipollet vni de Cõtingẽti de Modo ſolùm negato, & vni de Impoſſibili de vtroque affirmato, & vni de Neceſſario de dicto tãtùm negato: vnde iſtę ſunt æquiualẽtes, Petrum currere non eſt poſſibile, Petrum currere non eſt contingens, Petrum currere eſt impoſſibile, Petrũ non currere eſt neceſſe.

4 QVARTA Regula. Propoſitio de Poſſibili vtroque negato æquiualet vni de Cõtingẽti vtroque negato, & vni de Impoſſibili de dicto ſolùm negato, & vni de Neceſſario de vtroque affirmato: vnde iſtæ æquipollẽt, Petrum non currere non eſt Poſſibile, Petrum non currere non eſt contingens, Petrum non currere eſt impoſſibile, Petrum currere eſt neceſſe.

Regula ad omnes ſuperiores. VNVM tamẽ in his omnibus obſeruandũ eſt, vt quoties dictum eſt de ſubiecto communi, varietur eius quãtitas in propoſitionibus ſolùm de neceſſario, vt ſi in aliis eſt particulare, in propoſitione de neceſſario fiat vniuerſale, vel ſi in his eſt particulare, in illis fiat vniuerſale: vnde iſtæ æquiualent, Hominem currere eſt poſſibile, Hominẽ currere eſt contingens, Hominem currere non eſt impoſſibile, Omnem hominem non currere non eſt neceſſe. Vel ſi in illis aſſumatur vniuerſalitas, in hac debet deponi: aliter non æquiualerent. Sequentes figuræ has omnes manifeſtant.

ÆQVIPOLLENTES.	ÆQVIPOLLENTES.
Petrum currere eſt poſſibile.	*Petrum non currere eſt poſſibile.*
Petrum currere eſt contingens.	*Petrum non currere eſt contingẽs.*
Petrũ currere non eſt impoſſibile.	*Petrũ nõ currere nõ eſt ĩpoſſibile.*
Petrũ non currere non eſt neceſſe.	*Petrum currere non eſt neceſſe.*

ÆQVIPOLLENTES.	ÆQVIPOLLENTES.
Petrum currere non eſt poſſibile.	*Petrũ non currere nõ eſt poſſibile.*
Petrum currere non eſt contingẽs.	*Petrũ nõ currere non eſt cõtingẽs.*
Petrum currere eſt impoſſibile.	*Petrũ non currere eſt impoſſibile.*
Petrum non currere eſt neceſſe.	*Petrum non currere eſt neceſſe.*

AEQVIPOLLENTES DE SVBIECTO COMMVNI.

Hominem currere eſt poſſibile.	*Hominẽ non currere eſt poſſibile.*
Hominem currere eſt contingens.	*Hominẽ non currere eſt cõtingens.*

Hominem

Hominẽ currere non eſt impoßibi. *Hominẽ nõ currere non eſt impoſ.*
Omnem ho. non cur. non eſt neceſ. *Omnem hom. cur. non eſt neceſſe.*

ÆQVIPOLLENTES ÆQVIPOLLENTES

Hominem cur. non eſt poßibile. *Hominẽ non cur. non eſt poßibile.*
Hominẽ currere non eſt cõtingens. *Hominẽ non cur. non eſt conting.*
Hominem currere eſt impoßibile. *Hominẽ non currere eſt impoßib.*
Omnẽ hominẽ non cur. eſt neceſſe. *Omnem hom. currere eſt neceſſe.*

ÆQVIPOLLENTES. ÆQVIPOLLENTES.

SI tamen iſta faciliùs cognoſcere deſideras, per quaſdam voces poteris ea in promptu habere, quæ ſunt ab antiquis excogitatę, ſcilicet, *Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea*, in quibus continentur quatuor vocales, A, E, I, V. A, deſignat Modalem cuiuſcunque ſit Modi, affirmatiuam de vtroque: E, negatiuam de dicto, affirmatiuam de Modo: I, negatiuã de Modo, affirmatiuam de dicto: V, negatiuã de vtroquẽ. Aduerte præterea in illis ſingulis vocibus eſſe quatuor vocales: prima ſignificat de Poſſibili, ſecunda ſignificat propoſitionẽ de Contingenti, tertia de Impoſſibili, quarta de Neceſſario. Illæ ergo ſunt æquipollentes, quæ vnica voce continentur, vt patet in prima voce Amabim⁹: Prima enim eſt de Poſſibili, & quia eſt, A, eſt tota affirmatiua, Petrũ currere eſt poſſibile. Secunda eſt de Contingenti, & quia eſt, A, eſt tota etiã affirmatiua, Petrũ currere eſt contingens. Tertia eſt de Impoſſibili, & quia eſt, I, eſt negatiua tantùm de Modo, Petrum currere nõ eſt impoſſibile. Quarta eſt de Neceſſario, & quia eſt, V, eſt tota negatiua, Petrũ non currere non eſt neceſſe. Omnes hæ quatuor inter ſe ſunt æquipollentes: ſimiliter illæ, quæ aliis dictionibus continentur, ſeruando eundẽ ordinẽ. Quòd ſi velis propoſita aliqua Modali, eius æquipollentes cognoſcere, colloca eam in ſua voce, & tunc ſume alias ſecundũ illam vocẽ: poteſt autem cognoſci in qua voce ſit, ſi fuerit de Poſsibili conſiderãdo primas vocales, quæ ei conueniant; ſi fuerit de Cõtingenti conſiderãdo ſecundas, tertias verò ſi fuerit de Impoſsibili, quartas ſi de Neceſſario: verbi gratia, Petrum currere eſt impoſsibile, continetur in Illiace, vbi tertia eſt de Impoſsibili toto affirmato, tũc ſumere oportet alias æquipollẽtes ſecũdũ vocalium ordinẽ, & qualitatẽ. Prima eſt de Poſsibili de Modo ſolum negato, quia eſt, I: ſecunda de Cõtingenti eodem Modo: tertia eſt illamet: quarta eſt de Neceſſario, de dicto tãtùm negato, quia eſt, E. Idem in aliis Modis vniformiter.

Artis vocabula Modalium æquipollentia complectẽtia.

De Oppoſitione Modalium.


CAP. IIII.

Oppoſitionũ Modalium ex ſuperioribus artu vocabulis inuentio.

AEQVIPOLLENTIA Modaliũ perſpecta, facile eſt earum Oppoſitionem inuenire: omnes enim propoſitiones quę ſunt in Amabimus, de quibus fuit prima Regula ſuperior, ſunt Subcõtrariæ earum quæ ſunt in Edentuli, de quibus fuit ſecũda Regula. Præterea omnes quæ ſunt in Iliace, de quibus fuit tertia Regula, ſunt Contrariæ earum quæ ſunt in Purpurea, de quibus fuit quarta Regula Præterea quæ ſunt in Iliace, & in Amabimus, Contradicunt: ſimiliter & illæ quæ ſunt in Purpurea, & Edentuli. Denique illæ quæ ſunt in Purpurea, & Amabimus ſunt Subalternæ, & illæ pariter quæ ſunt in Iliace & Edentuli: quæ omnia ſequens figura manifeſtat.

AEQVIPOLLENTES. AEQVIPOLLENTES.

Petrum non cur. non eſt poſsibile. Petrum currere non eſt poſsibile.
Petrũ non cur. non eſt contingens. Petrũ currere non eſt contingens.
Petrũ non currere eſt impoſsibile. Petrum currere eſt impoſsibile.
Petrum currere eſt neceſſe. Petrum non currere eſt neceſſe.



Petrum currere non eſt poſsibile. Petrum non currere eſt poſsibile.
Petrum currere eſt contingens. Petrũ non currere eſt contingens.

Petrum

Petrum curre. non eſt impoßibile. *Petrũ non cur. nõ eſt impoßibile.*
Petrum non cur. non eſt neceſſe. *Petrum currere non eſt neceſſe.*

ÆQVIPOLLENTES. ÆQVIPOLLENTES.

Quando autem Modales ſunt de termino communi, tunc in earum Oppoſitione obſeruandum eſt, vt quoties dicta ſunt oppoſitæ qualitatis, ſcilicet alterum eſt affirmatum, alterum negatum, tunc etiam mutetur quantitas ſubiecti, vt in vna ſit particulare, in altera vniuerſale: vnde ſi prima de Amabimus eſt hæc, Omnem hominem currere eſt poſſibile, eius Contradictoria erit iſta vltima de Iliace, Hominem non currere eſt neceſſe, & eius Subcontraria iſta prima de Edentuli, Hominem non currere eſt poſſibile. Quando verò dicta non ſunt oppoſita ſecundum affirmationem, & negationem, nõ debet mutari quantitas. Hæc autem regula ſemper vera eſt: tamen in contrariis licet manere eandem quantitatem vniuerſalem, & in Subcontrariis particularem: vnde iſtæ ſunt Contrariæ; Omne animal non eſſe hominem eſt neceſſe, quæ eſt in Iliace, &, Omne animal eſſe hominem eſt neceſſe, quæ eſt in Purpurea: & iſtæ Subcontrariæ, Hominem currere eſt poſſibile, Hominem non currere eſt poſſibile; prior eſt in Amabimus, poſterior in Edentuli. Hæc omnia intellige, quãdo dicta ſunt oppoſitæ qualitatis: aliter enim debet manere eadem quantitas in oppoſitis. In ſubalternis verò, quarum vna eſt de Poſſibili, & altera de Neceſſario, obſeruandum eſt, ne dictum in Poſſibili ſit vniuerſale, & in Neceſſario particulare; ſed in vtroque vniuerſale, vel in Neceſſario ſit vniuerſale: in propoſitione autem de Poſſibili particulare. vnde iſtæ ſubalternantur, Omne animal eſſe hominem eſt neceſſe, quæ eſt in Purpurea, &, Omne animal eſſe hominem eſt poſſibile; vel, Aliquod animal eſſe hominem eſt poſſibile: non tamen iſtæ, Omne animal eſſe hominem eſt poſſibile, Aliquod animal eſſe hominem eſt neceſſe.

Obſeruanda in Oppoſitione Modaliũ.

De Aequipollentia & Oppoſitione Modalium ſecundùm Ariſtotelem, & ipſarum Conuerſione.

CAP. V.

ARISTOTELES ſecũdo Perihermidrias quãuis Modum communem, quem hactenus ſecuti ſumus in aſſignanda Modalium Aequipollentia, & Oppoſitione, non reprobet, alterum

alterum tñ veriorem modum ipſe docet, quem pro ſtudentium exercitio non grauabor exponere,& ad methodū quandam facilem reducere. Ariſtoteles igitur eaſdem Modales, quas ſuperiùs enarrauimus,aſſumit,diuerſo tamen ordine diſtribuit.Primo enim loco eam,quæ de Neceſſario eſt,conſtituit: ſecundo eam, quæ de Poſſibili: tertio, de Contingenti: quarto, de Impoſſibili.Cuius ratio optima eſt: id enim in anteriori loco ponendum eſt, quod vt antecedens ſe habet ad alterum. Cùm igitur Neceſſarium antecedat Poſſibile (quod enim Neceſſarium eſt, Poſſibile eſt; non tamen omne, quod Poſſibile eſt,Neceſſarium eſt,cùm hominem eſſe album Poſſibile ſit, non tamen Neceſſarium) meritò à Neceſſario potiùs quàm à Poſſibili incipiemus. Conſtituantur ergo quatuor rotuli, in quorum ſingulis ſint quatuor propoſitiones æquipollentes ex eiſdem Modalibus, ſumpto initio ab ipſis de Neceſſario, vti diximus: quæ faciliùs his dictionibus noſtris poterunt comprehendi, nempe, *Argutule, Veſtigia, Sine Metu, Mutabatis*. Prima dictio eſt, Argutule, in qua ſunt quatuor Aequipollentes, prima de Neceſſario, tota affirmatiua, denotata per, A. nempe, Petrum eſſe animal eſt neceſſe. Secunda de Poſſibili,tota negata,denotata per primum,V.nempe,Petrum non eſſe animal non eſt poſſibile. Tertia ſimiliter negata,de Contingenti per ſecundum,V.vt, Petrum non eſſe animal non eſt contingens. Quarta de Impoſſibili de Modo affirmato,& dicto negato,ſcilicet Petrum non eſſe animal eſt impoſſibile. Hæ igitur quatuor æquipollentes ſunt. Pari ratione pro aliis tribus poterunt eadem arte quatuor æquipollentes conſtitui,incipiendo ſemper à Neceſſario.

Modaliū ordo Ariſtotel.

Aequipollētia Modaliū Ariſtot. & quatuor verba antheru tedijcta, quibus ea denotatur.

Oppoſitio Modaliū Ariſtot.


Qvod ſi Oppoſitionem in his quæris, conſidera eas quæ ſunt in prima, & ſecunda dictione, ſibi mutuò eſſe Contrarias,quæ autem in tertia,& quarta, Subcontrarias: at quæ in prima ſunt,contradicunt iis quæ ſunt in tertia,quæ autem in ſecunda, iis quæ ſunt in quarta. Quæ omnia ſequens figura manifeſtat.

AEQVI

ÆQVIPOLLENTES. ÆQVIPOLLENTES.

Petrum eſſe animal eſt neceſſe.	*Petrũ non eſſe animal eſt neceſſe.*
P. non eſſe animal nõ eſt poſsibile	*Petrum eſſe aïal non eſt poſsibile.*
P. nõ eſſe animal non eſt contíng.	*P. eſſe animal non eſt contingens.*
Pet. nõ eſſe animal eſt impoſsibile.	*Petrũ eſſe animal eſt impoſsibile.*

ARGVTVLE. VESTIGIA.



MVTABATIS. SINE METV.

Petrũ non eſſe aïal non eſt neceſ.	*Petr. eſſe animal non eſt neceſſe.*
Petrum eſſe animal eſt poſsibile.	*Petr. non eſſe animal eſt poſsibile.*
Petrum eſſe animal eſt cõtingens.	*P. non eſſe animal eſt contingens.*
P. eſſe animal non eſt impoſsibile.	*P. non eſſe animal non eſt impoſ.*

ÆQVIPOLLENTES. ÆQVIPOLLENTES.

Oppositione autem & Aequipollentia vtcunque diſcuſſis, Conuerſionem earundem Modalium ſupereſt explicare. Circa quam vnum ante omnia aduertendum eſt, Modales non eſſe conuertendas niſi ſecundùm earum dicta, Modo ſemper manente prædicato: & tunc ſit. *Conuerſio Modali. Ariſt. & quatenus fieri debeat.*

Prima propoſitio. Modales omnes de Modo Neceſſario, Poſſibili, Contingenti affirmatis, Impoſſibili verò negato, conuer- *Regula 1.*

conuertuntur ſecundum ſui dicti conuerſionem: id eſt, ſi dictum fuerit vniuerſale affirmatiuũ, conuertatur per accidens; ſi vniuerſale negatiuum, aut particulare affirmatiuũ, ſimpliciter; ſi particulare negatiuum, non conuertatur: idem enim eſt iudicium de dictis, & de ſimplicibus Enunciationibus. Vnum tamen obſeruabimus, vt quoties vniuerſalis affirmatiua de Neceſſario conuertitur, ſi fuerit de ſenſu diuiſo mutetur in Poſſibile: verbi gratia, Omnem hominem eſſe animal eſt neceſſe: conuertatur, Aliquod animal eſſe hominem eſt poſſibile: niſi enim ſic conuertatur, multoties fient malæ conſequentiæ, vt patet in iſtis, Omne corpus nigrum eſſe corpus eſt neceſſe, non conuertitur, Aliquod eſſe nigrum eſt neceſſe; hæc enim eſt falſa, illa vera. Similiter, Omne Grammaticum eſſe hominem eſt neceſſe, non conuertitur, Aliquem hominem eſſe Grammaticum eſt neceſſe. Idem etiam obſeruandum erit in vniuerſali negatiua, præſertim in iis quæ Modum aduerbialem habent, vt inferiùs dicemus. Idem cenſendum de particulari affirmatiua quod de ipſa vniuerſali, vt mutetur Neceſſarium in Poſſibile. Quando verò ſenſus compoſitus fuerit, non eſt opus mutare Modum.

2. SECVNDA Propoſitio. Modales omnes de Impoſſibili affirmato, & de Contingenti, Poſſibili, & Neceſſario negatis, non conuertuntur, quoties dictum eſt vniuerſale affirmatiuum: non enim valet, Omne animal eſſe hominem eſt impoſſibile, vel non eſt neceſſarium, ergo Hominem eſſe animal eſt impoſſibile, aut non neceſſarium. Idem dicitur de aliis Modis negatis.

3. TERTIA propoſitio. Modales eædem, nempè de Impoſſibili affirmato, & de aliis Modis negatis conuertuntur, quoties dicta ſimpliciter conuerti poſſunt, nempè cùm ſunt vniuerſalia negatiua, aut particularia affirmatiua, vt, Nullum hominem eſſe animal eſt impoſſibile, conuertitur, Nullum animal eſſe hominem eſt impoſſibile. Similiter, Nullum animal eſſe hominem non eſt contingens, aut non poſſibile, aut non neceſſe conuertitur, Nullum hominem eſſe animal non eſt contingens, aut non poſſibile, vel non neceſſe.

4. QVARTA propoſitio. Nihil prohibet Modales per Contrapoſitionem conuertere, quando dicta vniuerſalia affirmatiua, aut particularia negatiua ſunt, ſicut & ſimplices Enunciationes conuertebantur. Hoc tamen verum & facile, ſed tamen parùm vtile eſt.

De

De Modalibus de Modo aduerbiali.

CAP. VI.

NON parum ad proprietates propoſitionum cognoſcendas naturam horum Modorum intelligere prodeſt: Cùm igitur Modi quatuor ſint, ex his duo ſunt vniuerſales, Neceſſariò, & Impoſſibiliter, duo autem particulares, Poſſibiliter & Contingenter: ex vniuerſalibus alter eſt affirmatiuus, ſcilicet, Neceſſariò, alter verò negatiuus, ſcilicet, Impoſſibiliter. At vterque particularis eſt affirmatiuus, imò pro eodem ſumuntur, ſcilicet, Poſſibiliter, & Contingenter. Erit autem particularis negatiuus, ſi poſtponatur negatio, ſcilicet, Poſſibiliter non, vel Contingenter non: vnde Neceſſariò ſe habet ſicut Omnis, Impoſſibiliter ſicut Nullus, Poſſibiliter ſicut Quidam, Poſſibiliter non ſicut Quidam non. Ex quo patet, Neceſſariò, & Impoſſibiliter, opponi cõtrariè; Poſſibiliter, & Poſſibiliter non, opponi ſubcontrariè; Neceſſariò, & Poſſibiliter, ſubalternè; ſimiliter, Impoſſibiliter, & Poſſibiliter non: at Neceſſariò, cum Poſſibiliter non; Impoſſibiliter, cũ Poſſibiliter, contradictoriè, vt ſequens figura facilè manifeſtabit. Similiter, ſicut, Omnis non, valet, Nullus: Nullus non, Omnis, ita Neceſſariò non, Impoſſibiliter; & Impoſſibiliter non, Neceſſariò. Item ſicut, Non omnis, Quidam non, &, Nonnullus, Quidam, æquiualent, ita, Non neceſſariò, Poſsibiliter non, Non Impoſsibiliter, Poſsibiliter. Demum ſicut, Non quidam, Nullus, Non quidam non, Omnis; ita etiam, Non Poſsibiliter, Impoſsibiliter, & Non Poſsibiliter non, Neceſſariò, æquipollent, vt eadem figura manifeſtat.

Modorum aduerbialium diuiſio.

ÆQVIPOLLENTES.	ÆQVIPOLLENTES.
Impoſsibile non.	*Neceſſariò non.*
NECESSARIO.	IMPOSSIBILITER.
Non poſsibiliter non.	*Non poſsibiliter.*

CONTRARIÆ.

SVBALTERNÆ. CONTRADICTORIÆ. CONTRADICTORIÆ. SVBALTERNÆ.

SVBCONTRARIÆ.

ÆQVIPOLLENTES. ÆQVIPOLLENTES.

Non impoßibiliter. *Non neceſſario.*

POSSIBILITER. POSSIBILITER NON.

Non neceſſario non. *Non impoßibiliter non.*

Oppoſitionu Modalium aduerbialiũ inuentio

Ex his facile erit, Oppoſitionẽ quamlibet inter ipſas propoſitiones inuenire. Hoc enim ante omnia obſeruandum eſt, vt in omni Oppoſitione habeatur ratio tota ipſius Modi: illæ enim erunt Contrariæ, quarum Modi ſunt contrarij, vt iſte, Homo neceſſariò currit, Homo impoſſibiliter currit: ille Subcontrariæ, quarum Modi ſubcontrarij, quamuis ſubiecta ſint vniuerſalia, vt, Omnis homo poſſibilè currit, Omnis homo poſſibilè non currit. Sic etiam in aliis Oppoſitionibus. Et tales propoſitiones dicuntur oppoſitæ de Modo. Quòd ſi præter Modi Oppoſitionem acceſſerit quantitas ſubiecti debita cuique Oppoſitioni, magis opponũtur, & tunc dicuntur oppoſitæ de ſubiecto, & Modo: vt ſi Contrariis addatur vniuerſalitas in vtroque ſubiecto, Contradictoriis in vno, Subcontrariis in neutro, Subalternis in vno tantũ: vnde iſtæ ſunt Cõtrariæ de ſubiecto & Modo, Omnis homo neceſſariò currit, Omnis homo impoſſibiliter currit: iſtæ Subcontrariæ, Homo poſſibiliter currit, Homo poſſibiliter non currit: iſtæ Contradictoriæ, Omnis homo neceſſariò currit, Aliquis homo poſſibiliter

Oppoſita de modo

Oppoſita de ſubiecto.

biliter non currit: iſtæ Subalternæ, Oīs homo neceſſariò currit, Poſſibiliter homo currit, vel Omnis homo neceſſariò eſt animal, Aliquis homo poſſibiliter eſt animal. Tamē ratio pręcipua Oppoſitiōis in Modo cōſiſtit, vt ea ſola ablata Oppoſitio auferatur, ea verò poſita ponatur. Ex quibus habes innumeras Oppoſitiones, ſecundùm quòd multi ſunt Modi æquipollentes, & Oppoſitio ex Modis ſolis, & Oppoſitio ex Modis cum ſubiecto poteſt ſumi, quorum exempla ſunt facilia.

CIRCA Conuerſionem autem non eſt aliquid peculiare præter ea, quæ diximus de ſimplicium Conuerſione: ſed vniuerſalis affirmatiua per accidens conuertatur, particularis autem affirmatiua, & vniuerſalis negatiua ſimpliciter: vnde iſta, Omnis homo poſſibiliter eſt animal, conuertenda eſt in hanc, Aliquod animal poſſibiliter eſt homo, hæc autē, Nullus homo poſſibiliter eſt animal, in hanc, Nullum animal poſſibiliter eſt homo. Vnum autem aduertendum eſt, vt Modus vniuerſalis affirmatiuus mutetur in conuertente in particularem affirmatiuum, vt iſta, Creans neceſſariò eſt Deus, conuertatur in hanc, Deus poſſibiliter eſt creans. *Conuerſio Modalium aduerbialium.* *Not. 1.*

EST etiā aliud aduertendū, Modum impoſſibiliter in ſe habere negationē, ac propoſitionem reddere negatiuam, niſi ab alia negatione impediatur. Vnde iſta negatiua eſt, Omnis homo impoſſibiliter eſt lapis, & cōuertenda etiā in negatiuam, nēpe, Omnis lapis impoſſibiliter eſt homo, vel in hāc, Nullus lapis poſſibiliter eſt homo: iſta autem affirmatiua eſt propter duas negationes, Nullus homo impoſſibiliter eſt animal, cōuertenda in hanc, Aliquod animal poſſibiliter eſt homo; vniuerſalis enim affirmatiua in particularem conuertitur. *Not. 2.*

DENIQVE maximè valor Modorum eſt conſiderandus, ne eam quæ eſt affirmatiua in virtute, conuertamus ſicut negatiuam, & id, quod erat particulariter ſumendum, vniuerſaliter ſumamus. Particularia verò negatiua de ſubiecto non eſt cōuertenda, ſicut nec reliquæ Enunciationes; non enim conuertes, Aliquod animal impoſſibiliter eſt homo, nec, Aliquis homo poſſibiliter non eſt Grammaticus. *Not. 3.*

ATQVE hæc de iſtis Modalibus: quæ nulla ratione ſunt paruipendenda, cùm horum Modorum cognitio non mediocrem ad rerum naturas cognoſcendas vſum exhibeat. *Modalium aduerbialium cognitio vtilis.*

De Enunciationibus de Contingenti ſpecialiter ſumpto.

CAP. VII.

ABSOLVTIS Modalibus Enunciationibus, q̄ ex prædictis quatuor Modis componebantur, ſupereſt vt vnum aliū

Modi de Contingẽti duplex ſignificatio. Prior. Poſterior quæ hic vſurpatur. Modum, cuius Ariſtoteles in Prioribus meminit, explicemus. Hic autem eſt Contingens, non in ea ſignificatione, qua ſuperiùs vſurpabatur: illic enim Contingens pro Poſsibili ſumebatur, vt illud eſſet Cõtingens ſeu Poſsibile, quod eſſe poteſt, ſiue poſsit non eſſe, ſiue non poſsit non eſſe, ideò de Neceſſario, atque etiam de exiſtenti non Neceſſario prædicabatur; hîc autem pro alio Contingens vſurpatur, pro illo nempe quod poteſt eſſe, & poteſt non eſſe, ſiue ſit, ſiue non ſit. Et hoc Contingens repugnat & contradicit non ſolùm Neceſſario, ſed etiam Impoſſibili: quod enim Neceſſarium, aut Impoſſibile eſt, Contingens non eſt: tale autem Contingens vocant, ſpecialiter ſumptum.

Cõtingentis ſpecialiter ſumpti natura. Hvivs natura eſt admodùm conſideranda: habent enim hoc propoſitiones de Neceſſario, vt ſi affirmatiuum dictũ eſt Neceſſarium, negatiuum ſit Impoſſibile, & econtrà: ſi negatiuum Neceſſarium, affirmatiuum Impoſſibile; vt, ſi hominẽ eſſe animal eſt neceſſe, hominem non eſſe animal eſt impoſſibile, &, ſi hominem non eſſe lapidem eſt neceſſe, hominẽ eſſe lapidem eſt impoſſibile. Hoc idem habent Enunciationes de Impoſſibili, vt ſi vna oppoſita ſit Impoſſibilis, altera ſit Neceſſaria. *Oppoſitio Enunciatio. e Cõting. ſpec.* At de Contingenti Enunciationes, ſi dictum oppoſitum eſt Contingens, & alterum neceſſariò erit Contingens: vt, ſi hominem eſſe album eſt contingens, etiam & hominem non eſſe album erit contingens, maximè in his, quæ de ſenſu diuiſo ſunt. Ex quo fit vt negatiua de Contingenti virtualiter ſit affirmatiua, cùm eam ex ſe inferat; quod non fit in aliis Modis, cùm vna oppoſita non inferat alteram, vti diximus. Et hoc notare maximè oportet pro Syllogiſmis de Contingenti, traditis ab Ariſtotele in primo Priorum, quos explicabimus in quatto libro.

Conuerſio Enunciatio. de Cõtigẽti ſpec. Envnciationes autem de Contingenti ſic cõuertere oportet: Affirmatiuæ enim vniuerſalis & particularis conuertũtur, ſicut reliquæ, in particularem affirmatiuam; at vniuerſalis negatiua conuerti non poteſt in vniuerſalem negatiuã; non enim conuertitur, Nullum hominem eſſe album eſt Cõtingens, in hanc, Nullum album eſſe hominem eſt contingẽs; poterit tamen particulariter conuerti. At particularis negatiua, quæ in aliis non cõuertebatur, hîc conuerti poteſt in particularem negatiuam; valet enim, Aliquem hominem non eſſe album eſt contingens, ergo Aliquod album non eſſe hominem eſt contingens.

Et hoc ſufficiat pro introductione huius in Ariſtotelem, vbi

vbi exactiùs hoc examinabitur.

DE EXPONIBILIBVS.

De Excluſiuis.

CAP. VIII.

ENVNCIATIONIBVS Modalibus abſolutis, quibus ratione Modi peculiaris inerat difficultas, nũc de quibuſdã aliis, quæ ob aliquem terminum, vel ſignum in eis incluſum, multas ac varias in valore continent propoſitiones, ac proptereà obſcurũ habent ſenſum, per illas incluſas, quæ clariores ſunt, manifeſtãdum, tractemus, quas Exponibiles propoſitiones vocaut: quem tractatum eò antiqui Dialectici Probationes terminorum appellarunt, quòd tales propoſitiones per eas, quas in ſe includunt, quæ manifeſtiores ſunt, probari poſſint, háſque Exponentes vocant.

Enunciationes Exponibiles.

INTER huiuſmodi igitur Enunciationes primũ genus eſt earũ, quę aliquo ſigno excluſiuo tenentur, quale eſt Tantùm, Solùm, & ſimilia. Quarũ duplex eſt Modus: quædam enim dicuntur de excluſo extremo, nimirum cùm tale ſignum prædicatũ determinat, & ab eo excluſionem facit, vt, Homo eſt tãtùm animal rationale: quædam abſolutè Excluſiuæ dicuntur, cùm tale ſignum totam modificat propoſitionẽ, quod fit, cùm ſignum ex parte ſubiecti tenetur. Vtroque autem Modo bifariam fit excluſio: aut enim prædicatum eſt aliquis numerus, & tunc excluſio dicitur ſecundum pluralitatem: aut eſt aliqua alia res, & tunc excluſio dicitur ſecundum rem.

Exponibilium primum genus Excluſiuæ, & earũ duplex Modus.

Vtriuſque Modi bifaria excluſio.

LATE autẽ differunt Enunciationes hæ duæ, nempe quando eſt excluſio in prædicato, aut quando eſt excluſio in ſubiecto, vt videre eſt ex ſenſu diuerſo earundem Enunciationum. Hæc enim, Prædicabilia ſunt tantùm quinque, ſi excluſio fiat in prædicato, vera eſt: facit enim ſenſum, Prædicabilia nõ excedere numerum quinarium: quod verũ eſt. At ſi excluſio fiat in ſubiecto, ſcilicet, tantùm Prædicabilia ſunt quinque, propoſitio eſt falſa, quia facit ſenſum, Nulla alia à Prædicabilibus eſſe quinque: quod quidem falſum eſt. Vtriuſque igitur Modi expoſitio tradenda eſt.

Differẽtia Excluſiuarũ, de prædicato, & de ſubiecto.

ET quidem eã quæ eſt de excluſo prædicato exponere facile eſt, ſi auferamus ſignum & à prædicato remoueamus; ſi fuerit numerus, quencunque alium numerum; ſi fuerit res, quamcunque aliam rem. Iſta igitur, Prædicabilia ſunt tantùm quinque, exponitur, Prædicabilia ſunt quinque, & non plura: ſimiliter, Homo eſt tantùm animal rationale, exponitur, Homo eſt animal rationale, & nihil aliud. At propoſitiões excluſiuas

Expoſitio vtriuſque.

De excluſo prædicato.

De excluſo ſubiecto. Excluſiuarũ de ſubiecto quadruplex differentia.

cluſiuas de ſubiecto excluſo non ita facile eſt exponere: diuidendæ enim priùs ſunt: habent ſe namque in quadrupli differentia. Quædam ſunt integrè affirmatiuæ, id eſt, in quibus ipſum ſignum & propoſitionis copula affirmatur, vt, Tantùm homo eſt riſibilis. Secundò, quædam ſunt harũ oppoſitæ, quæ vnam habẽt præpoſitam negationem, vt, Non tantùm homo eſt riſibile. Tertiò, quædã ſunt de copula negata, de ſigno autẽ affirmato, vt, Tantùm homo non eſt riſibilis Quartò, quędam ſunt harum oppoſitæ de vtroque negato, vt, Non tãtùm homo non eſt riſibilis. Omnes autem iſtæ per hypotheticas propoſitiones reſoluendæ ſunt, quarum prior pars conſtet ex eodem prædicato & ſubiecto ipſius excluſiuæ ablato ſigno, poſterior autem ex eodem prædicato, & oppoſito ſubiecti, vt, Tantùm homo eſt animal, exponitur, Homo eſt animal, & nihil aliud ab homine, ſeu, Nullum non homo eſt animal.

Reſolutio & Expoſitio.

Non tamen omnes eodem modo exponendæ ſunt, ſed prima per copulatiuam, cuius prior ſit ipſamet excluſiua ablato ſigno, poſterior negatiua vniuerſalis de oppoſito ſubiecti, vti diximus, vt, Tantùm homo eſt riſibilis; Homo eſt riſibilis, &, Nullum non homo eſt riſibile. Huius autem negatiua diſiunctiuè eſt reſoluenda per partes contradictorias propoſitionibus prioris, vt, Non tãtùm homo eſt riſibilis, exponitur, Nullus homo eſt riſibilis, vel, Aliquod nõ homo eſt riſibile. Tertia autem Propoſitio exponenda eſt copulatiuè, ſicut prima, ita vt prior pars ſit ipſa excluſiua ablato ſigno, quæ in omnibus dicitur præiacens, & poſterior vniuerſalis affirmatiua de eodem prædicato, & oppoſito ſubiecti, ſicut in aliis: vt, Tantùm homo non eſt riſibilis, exponitur, Homo non eſt riſibilis, & quodlibet aliud ab homine, ſeu, Omne non homo eſt riſibile. Quarta exponitur per diſiunctiuam ſicut Secunda ex partibus contradictoriis huius tertiæ, vt, Non tantùm homo non eſt riſibilis, Omnis homo eſt riſibilis, vel, Aliquod non homo non eſt riſibile. Vnde ſemper habenda eſt regula, vt prima, & ſecunda reſoluantur contradictorio modo, ſimiliter tertia & quarta. Propterea vtile erit in reſolutione ſecundę priùs reſoluere primam, & in reſolutione quartæ priùs reſoluere tertiam.

De Oppoſitione Excluſiuarum.

CAP. IX.

ANTEQVAM Oppoſitionẽ harum tradamus, non inutile erit aliquas dictiones aſſignare, quibus iuuenes promptiores

priores ſint in iſtis Excluſiuis reſoluendis. Sunt igitur hę quatuor, *Iſte, Regit, Proram, Clauo:* quæ ſuo ordine ſingulæ ſingulis Excluſiuis deſeruiunt, obſeruatis tamē illis duobus ſuperiùs enarratis: nempe vt prima & tertia exponantur copulatiuè, ſecunda & quarta diſiunctiuè: ſimiliter, vt prior pars conſtet ex eodem prædicato, & ſubiecto, poſterior ex eodem prædicato, & oppoſito ſubiecti: obſeruatis etiā quatuor vocalibus, notandis pro aliis etiā, quæ inferiùs ſequūtur: A, denotat vniuerſalem affirmatiuam: E, vniuerſalem negatiuam: I, particularem affirmatiuam: O, particularem negatiuam. Eſt igitur prima dicto, *Iſte*, pro excluſiua tota affirmatiua, ſcilicet, Tantùm homo eſt riſibilis, denotat vt prior ſit particularis affirmatiua, ſecunda vniuerſalis negatiua, vt expoſitum eſt. *Regit*, pro negatiua, Non tantùm homo eſt riſibilis, denotat vt prior ſit vniuerſalis negatiua, poſterior particularis affirmatiua, oppoſito modo primæ. Aliæ etiam dictiones exponendæ ſunt iuxta vocales ſuas.

Vocabula artis Excluſiuarū reſolutionem denotantia.

Iſte.

Regit.

Proram. Clauo.

Est etiam præter hæc conſideranda vis ſigni excluſiui: quemadmodum enim ſignum vniuerſale affirmatiuum diſtribuit immediatos terminos, & mediatos confundit, ita Excluſiuum oppoſito modo immediatos confundit, mediatos diſtribuit; vt, Tantùm homo eſt animal, homo confunditur, animal diſtribuitur. Hinc eſt, quòd tales propoſitiones conuertuntur per vniuerſales affirmatiuas; vt, Tantùm homo eſt animal, conuertitur, Omne animal eſt homo. In negatiuis hoc non valet, quia negatiò mutat virtutem ſigni.

Signi Excluſiui cōſideratio.

Ex his Oppoſitiones in Excluſiuis inuenire non eſt difficile: illæ enim quæ copulatiuè reſoluuntur, ſcilicet prima, & tertia, ſunt Contrariæ; quæ verò diſiunctiuè, vt ſecunda, & quarta, Subcontrariæ; prima verò & ſecunda, tertia cum quarta Contradictoriæ; Prima cum quarta & ſecunda cum tertia Subalternæ, vt ſequens figura manifeſtat.

Oppoſitionū in Excluſiuis inuentio.

ISTE. PRORAM.

Tantùm homo eſt animal. *Tantùm homo non eſt animal.*

CONTRARIÆ.

SVBALTERNÆ. CONTRADICTORIÆ. CONTRADICTORIÆ. SVBALTERNÆ.

SVBCONTRARIÆ.

CLAVO. REGIT.

Non tantũ homo non eſt animal. *Non tantùm homo eſt animal.*

De Exceptiuis.

CAP. X.

Propoſitio Exceptiua.

POST Excluſiuas ſequitur aliud propoſitionis genus, quod propoſitio Exceptiua dicitur. quæ ſigno aliquo exceptionis modificatur, quale eſt Præter, & aliud ſimile. In quibus obſeruandum eſt vt terminus exceptus ſit inferior termino à quo fit exceptio, & talis termin⁹ à quo exceptio fit diſtribuatur: aliter enim non fiet cõgrua Exceptiua, vt, Omne animal præter hominem eſt expers rationis.

Reſolutio Exceptiuarum per tres Exponentes, antiqua.

PROPTER quod antiqui talem propoſitionẽ per tres Exponentes manifeſtabant, quando affirmatiua erat: quarum prima quidem eſſet vniuerſalis præiacens cum termino excluſo in ſubiecto, ſcilicet, Omne animal aliud ab homine eſt irrationale: Secunda vniuerſalis affirmatiua, in qua prædicetur ſubiectum Exceptiuæ de termino excepto, ſcilicet, Omnis homo eſt animal: Tertia vniuerſalis negatiua, cuius ſubiectum ſit terminus exceptus, & idem prædicatum Exceptiuæ, ſcilicet, Nullus homo eſt irrationalis. Contradictorio

dictorio autem modo fiebat in negatiua,ſcilicet; Non omne animal præter hominē eſt irrationale,exponitur per Diſiunctiuam ex partibus contradicentibus. At quando eſt negatiua de copula, non de ſigno, vt, Omne animal præter hominem non eſt rationale,tunc copulatiuè per tres vniuerſales,prima negatiua, ſecunda & tertia affirmatiua de eiſdem ſubiectis & prædicatis,ſicut prius, ſcilicet, Nullum animal aliud ab homine eſt rationale,Omnis homo eſt animal,&,Omnis homo eſt rationalis Huius autem negatiua per diſiūctiuam ex partibus contradicentibus, vt, Non omne animal præter hominem non eſt rationale.

Reſolutio Exceptiuarū per duas tātum Exponentes magis probatur

QVAMVIS autem hoc verum ſit,clariùs & diſtinctiùs reſolutio fiet, ſi per duas tantùm Exponentes reſoluantur, omiſſis nempe ſecundis:nā cùm Exceptiuę propriè non fiant, niſi cùm exceptus terminus continetur ſub eo à quo fit exceptio,non opus eſt hanc Exponentem addere.

Vocabula artis de Exponētibus.

POTERVNT autem tales Exponentes his dictionibus faciliùs retineri,*Date, Prompti,Penam, Pigro*,quæ eadē via procedunt,ſicut in Excluſiuis, vt prima ſit pro prima Exceptiua, & ita reliquæ ſuo ordine: ſimiliter prima & ſecunda Contradicant,tertia etiam, & quarta:At prima & tertia ſint Contrariæ,ſecunda & quarta Subcontrariæ,vt facile erit cuilibet experiri.

De Reduplicatiuis.

CAP. XI.

Propoſitio Reduplicatiua.

SVNT aliæ propoſitiones, quæ Reduplicatiuæ dicuntur, eò quòd aliquod ſignum habeant, quod aliquid ſuper terminum præcedentem ſuperponat, vt, Homo,inquantùm rationalis, eſt riſibilis. Hæc autem ſigna dupliciter vſurpantur.

Signa Reduplic. duo genera.

Aliquando termini præcedentis aliquam rationum manifeſtant,ſecundum quam aliquid ei denotatur conuenire, vt, Ens, inquantùm ens, eſt obiectum Metaphyſicæ,Color, quatenus color, eſt obiectum viſus:& tunc dicuntur ſpecificatiuè teneri. Aliquando cauſam prædicati important, vt, Homo, quatenus rationalis, eſt riſibilis, id eſt, cauſa cur homo ſit riſibilis, eſt, quia rationalis eſt: &

Reduplic. cauſalis quatuor ſpecies.

tunc quadruplex conſtituitur Reduplicatiuarum ſpecies, ſicut in aliis. Prima eſt purè affirmatiuarum, Homo, inquantùm rationalis, eſt riſibilis. Secunda negatiuarum de ſigno, Non omnis homo,inquantùm rationalis, eſt riſibilis. Tertia negatiuarum ſolùm de copula, Homo, inquantùm rationalis, non eſt riſibilis. Quarta eſt,in qua totum negatur,Non

Reduplic. cauſal. reſolutio.

omnis homo, inquantùm rationalis, nõ eſt riſibilis. Et quamuis à multis harum quælibet per quatuor Exponentes manifeſtari ſoleat, id tamen inutile videtur. Commodius autem & diſtinctius erit ad cauſales reducere, & ſecundum has in omnibus de illis iudicare. Reducetur igitur prima ad cauſalem affirmatiuam, Quia homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis. Secunda ad cauſalem negatiuam, Non, quia homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis. Reducitur tertia ad cauſalem affirmatiuam de ſolo conſequenti negato, vt, Homo, inquantùm rationalis, non eſt riſibilis, id eſt, quia homo rationalis non eſt riſibilis. Quarta verò ad cauſalem negatiuam de conſequenti negato, vt, Non omnis homo, inquantum rationalis, non eſt riſibilis, id eſt, non quia homo rationalis eſt, riſibilis non eſt.

Reduplic. ſpecific. expoſitio.

SIC igitur exponi congruè poteſt Reduplicatiua, quando cauſaliter tenetur: nam quando ſpecificatiuè tenetur, tũc nullo modo per cauſalem exponi debet, ſed aliquo vocabulo clariori explicari, vt, Homo, inquantùm homo, eſt ſpecies, id eſt, homo communiter ſumptus, & in generali eſt ſpecies.

Reduplic. ſecundum conſequentiam ſolã. Eius expoſitio.

ALIQVANDO Reduplicatio fit non in cauſa, ſed ſecundùm conſequentiam ſolam, vt, Homo, inquantùm riſibilis, eſt rationalis: ſed hoc raro, & tunc non per cauſalem, ſed per conditionalem fiet expoſitio, ſcilicet, ſi homo eſt riſibilis, homo eſt rationalis.

De Exponibilibus quibuſdam verbis.

CAP. XII.

Verba tria Exponibilia. Propoſitiones Exponibiles. Affirmatiua. Negatiua. Alia duo verba Incipit & Deſinit, Exponibiles duûm generum cõſtituentia.

PRAETER ſigna Syncategorematica ſunt aliqua categoremata, quæ, cùm obſcurũ reddant propoſitionis ſenſum, expoſitione egent. Inter iſta eſt verbum Differt, Aliud, & Diuerſum. Duplex harum propoſitionum conſtituitur ſpecies, Prior affirmatiuarum, Homo differt ab equo, vel, eſt alius ſeu diuerſus ab equo: & talis per tres exponentes exponenda eſt, duæ priores ſunt affirmatiuæ, per quas extremorum exiſtentia ſignificetur, tertia negatiua eorumdem extremorum inter ſe, vt, Homo eſt, & equus eſt, & homo non eſt equus. Poſterior ſpecies eſt negatiuarum, quæ diſiunctiuè contradictorio modo exponi debent, vt, Homo non differt ab equo, Homo non eſt, vel equus non eſt, vel homo eſt equus.

SVNT etiam alia duo verba, quæ propoſitiones Exponibiles & affirmatiuas, & negatiuas conſtituunt, quæ ſunt, Incipit & Deſinit, Hęc iunguntur rebus, quę vnico inſtanti totum ſuum

ſuum eſſe habent, aut perdunt, vel rebus quæ ſpacio temporis & ſucceſſiuè eſſe acquirunt, & deperdunt. Primi generis ſunt ſubſtantiæ, ſecundi ſunt multa accidentia: & ſecundùm hoc variè talia verba exponenda ſunt. Verbum Incipit, quando iungitur termino ſignificanti ſubſtantiam, eſt reſoluẽdum per copulatiuam, cuius prior pars ſit de præſenti affirmatiua, & poſterior negatiua de præterito cum iſto aduerbio Immediatè, per quod denotatur temporis illius præteriti propinquitas cum tali præſenti, vt, Homo incipit eſſe, homo eſt, & immediatè ante hoc non fuit. Quando verò iungitur termino ſignificanti rem quæ ſucceſſiuè habet ſuum eſſe, eſt reſoluendum etiã copulatiuè per hypotheticam, cuius prior pars ſit de præſenti negato & futuro affirmato cum illo eodem aduerbio: Calor incipit eſſe, calor nõ eſt, & immediatè poſt hoc erit. Si verò talis propoſitio fuerit negatiua, diſiunctiuè contradictorio modo exponetur, vt calor non incipit eſſe, calor nunc eſt, vel, non immediatè poſt hoc erit. Verbum autem Definit, iunctum termino ſignificanti rem, quæ totum eſſe ſuum ſimul habet, exponi debet per copulatiuam, cuius prior pars ſit de præſenti negato, & poſterior de præterito affirmato cum illo eodem aduerbio: Petrus definit eſſe, Petrus non eſt, & immediatè ante hoc fuit. Pari ratione quando iungitur rebus ſucceſſiuis, in hoc enim non eſt diſcrimen, motus definit eſſe, motus non eſt & immediatè ante hoc fuit: ſi negatiua autem propoſitio diſiunctiuè contradictorio modo eſt exponenda ſicut in aliis omnibus. Horum rationes & cauſas quærere, altius eſt, quàm noſtra præſens patiatur ſpeculatio: eſt enim negotium Phyſicum. Satis ſit Dialectico modum exponendi noſcere: cætera ſupponantur.

Incipit, in primo genere.

In ſecundo genere.

Definit in primo genere.

In ſecũdo genere.

De Comparatiuis & Superlatiuis.

CAP. XIII.

SVNT etiam aliæ propoſitiones quæ aliqua indigent expoſitione, quales ſunt propoſitiones de Comparatiuo, & Superlatiuo.

PROPOSITIO igitur de Cõparatiuo tres habet Exponentes. Prima eſt, in qua ſubiicitur ſubiectũ poſitiuo cõparatiui. Secunda, in qua ſubiicitur terminus comparatus. Tertia in qua vnũ cum altero reſpectu Poſitiui confertur, cum aduerbio denotante exceſſum: verbi gratia, Leo eſt fortior homine,

Propoſitio de Comparatiuo.

Leo

Leo eſt fortis,& Omnis homo eſt fortis,& Leo eſt magis fortis. Aliquando Comparatiuum ſumitur abuſiuè, & tunc non ponit Poſitiuum, vt, melius, aliquando dicitur, minus malum. Quando autem propoſitio eſt negatiua, vt, Leo non eſt fortior homine, diſiunctiuè contradictorio modo eſt reſoluenda.

Propoſitio de Superlatiuo.

Svperlativvm verò aliquando ſumitur negatiuè, aliquando poſitiuè Cùm poſitiuè tenetur, reſolui debet per Copulatiuam, cuius prior pars ſit propoſitio ex ſubiecto & termino Superlatiui compoſita, poſterior affirmatiua de Comparatiuo cum termino comparato vniuerſaliter ſumpto: verbi gratiâ, Ariſtoteles fuit doctiſſimus Græcorum, Ariſtoteles fuit Græcus, & quocunque Græco doctior. At quando tenetur negatiuè, poſterior propoſitio erit vniuerſalis negatiua, in qua ſubiicitur terminus ſuperlatiui cum Comparatiuo: & terminus comparatus eſt ipſum ſubiectum, vt, Cicero fuit eloquentiſſimus Latinorum, id eſt, Cicero fuit Latinus, & nullus Latinus fuit illo eloquentior.

Plvres poſſent propoſitiones adduci, quæ expoſitione indigere videntur, ſed obſeruanti modum reſoluendi prædictas, & ſenſum locutionis, non erunt difficiles.

FINIS LIBRI TERTII.

IN

INTRODVCTIONIS IN DIALECTICAM ARISTOTELIS,

LIBER QVARTVS.

DE ARGVMENTATIONE.

De Argumentatione bona & mala formali, & materiali.

CAPVT I.

ARGVMENTATIONVM partibus materialibus, nempe propoſitionibus, & ipſatum partibus & accidentibus hactenus diſcuſſis, nunc tandem ipſam Argumentationem explicare aggredimur. Eſt igitur Argumentatio, quæ Conſequentia dici ſolet, oratio in qua vnum ex alio inferri denotatur, vt ſuperiùs declarauimus. Hæc autem duplici parte conſtat, & Antecedenti, & Conſequenti. Antecedens, eſt illa propoſitio, ex qua altera infertur. Conſequens verò, ea ipſa quæ infertur. Dictio, illa, qua talis conſequutio vnius ex altera denotatur, Nota illationis dicitur.

Argumẽtatio. *Antecedẽs.* *Cõſequens.* *Nota illationis.*

SOLET aliquando Conſequentia vitioſa fieri, cùm id, quod inferri denotatur non ita ſicut denotatur infertur: oppoſitum autem in Conſequentia bona accidit. Hæc omnia in primo libro explicuimus, nunc ad alia, quæ illic propter incipientium captum inexplicata omiſimus, tranſeamus.

Argumentatio mala.

CONSEQVENTIA, ſeu Argumentatio bona, duplex eſt, quædam formalis, quædam materialis. Materialis eſt oratio, in qua pars altera verè ex altera infertur ob rerum ſolam coniunctionem, vt, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt ſubſtantia: quia enim homo neceſſariò cum ſubſtantia coniungitur, ea ſola cauſa fit, vt ex tali antecedenti conſequens colliga

Argumentatio bona, duplex. *Materialis.*

ligatur. Diximus autem, ob eam ſolam cauſam, quia non propter modum colligendi, ſed propter rerum connexionem duntaxat illa fit illatio: ſi enim in conſequenti aliud colligeremus de Petro cum quo non neceſſariò homo coniungeretur, Conſequentia vitioſa eſſet, vt ſi dixeris, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt albus. Poteſt enim antecedens verum, & conſequens falſum eſſe: ex quo fit, vt illa Conſequentia non ſit bona propter illam formam & modum colligendi, ſcilicet ex vno alterum inferre, ſed propter connexionem rerum ſignificatarum in Conſequenti, & Antecedenti: Vnde talis Conſequentia valebit in omnibus his ſolùm, in quibus talis connexio fuerit reperta: propterea licebit argumentari eadem ratione qua inferebatur, Petrus eſt homo, ergo eſt ſubſtantia, ita ſcientia eſt habitus, ergo eſt qualitas, Iuſtitia eſt virtus, ergo eſt habitus, Arbor eſt viuens, ergo eſt corpus: in his enim omnibus eadem eſt connexio conſequentium cum ſuis antecedentibus, nempè ſuperiorum cum inferioribus. Tales igitur Conſequentiæ, & aliæ huiuſmodi Materiales dicuntur. Argumentatio verò Formalis, eſt oratio, in qua vnum ex altero infertur non ſolùm propter rerum connexionem, ſed etiam propter modum colligendi, vt ſi dicas, Omne bonum eſt appetendum, Omnis virtus eſt bona: ergo omnis virtus eſt appetenda: in hac enim argumentatione etiamſi nulla eſſet rerum connexio propter ſolam formam talem inferendi; vnum ex altero inferretur. Vnde fit, vt ſi talem formam applices aliis rebus quantuncunque inconnexis, firma ſit, & conſtans illatio, vt ſi dixeris, Omnis lapis eſt animal, Omnis homo eſt lapis: ergo Omnis homo eſt animal, optimè ex tali antecedenti conſequens colligitur. Talis Conſequentia Formalis eſt, quæ in omni materia, in omni propoſitione ſimili applicata, ſemper eſt bona. Dico autem, in omni ſimili propoſitione, quia ſi applicetur diſſimilibus propoſitionibus, apparebit quidem eadem, ſed non erit. Similitudo autem duarum propoſitionum in his præcipuè conſiſtit. Primò, vt ſint eiuſdem qualitatis, id eſt, ſi vna eſt affirmatiua, & altera ſit affirmatiua, ſi vna negatiua, & altera etiam negatiua: hoc intelligere oportet quantum ad copulas principales. Vnde iſtæ in qualitate ſimiles ſunt, Animal quod non eſt rationale, eſt riſibile, Homo qui currit mouetur: eſt enim vtraque affirmatiua.

Formalis.

Similitudo propoſitionũ in quibus conſiſtit.

2 Secundò, vt ſint eiuſdem quantitatis, id eſt, ſi vna vniuerſalis, & altera vniuerſalis, ſi vna particularis, indefinita,

nita, aut ſingularis, & altera eodem modo. Tertiò, vt in 3. vtraque eadem ſit acceptio terminorum, ſcilicet eadem Suppoſitio, Ampliatio, Appellatio: & ſub hoc intelligitur, vt ſi vna fuerit Modalis, & altera ſimiliter eiuſdem Modi, vel æquiualentis; ſi vna Exponibilis, & altera; ſi vna de ſubiecto complexo, & altera. Hæc omnia eatenùs dicta ſint, vt cùm formam Argumentationis aliquam, quæ in aliquibus propoſitionibus bona erat, velis aliis propoſitionibus applicare, obſerues, vt tales propoſitiones in his tribus prioribus aſſimilentur, aliàs talem formam Argumentationis mutabis. Non enim eadem eſt forma, quæ eſt in iſtis, Omnis homo eſt animal, Omne riſibile eſt homo, ergo Omne riſibile eſt animal; & ea, quæ eſt in iſtis, Omnis homo eſt animal, Tantùm riſibile eſt homo; ergo Tantùm riſibile eſt animal, cùm propoſitiones huius non ſint ſimiles alterius. Idem in aliis oportet dicere.

De Regulis generalibus bonæ Conſequentiæ.

CAP. II.

SVNT aliquot generales Regulæ, quibus Conſequentiarum & Argumentationum vis in inferendo maximè manifeſtatur, quæ aliquibus principiis innituntur. Primum eſt, Ex vero non ſequitur niſi ſolum verum, id eſt, in bona Conſequentia, ſi Antecedens verum eſt, oportet Conſequens verum eſſe, in quo principio fundatur. *1. Principium.*

PRIMA Regula. Si Antecedens eſt poſſibile aut contingens, Conſequens etiam contingens aut poſſibile, aut neceſſarium: ſi verò Antecedens neceſſarium, Conſequens erit neceſſarium. Verbi gratia, Homo currit, ergo mouetur: huius Argumentationis Antecedens contingens eſt, pariter etiam & Conſequens: vt enim homo poteſt currere, & non currere, ita moueri, & nõ moueri. Præterea, Homo eſt animal, ergo eſt ſubſtantia: huius Antecedens neceſſarium, & Conſequens etiam neceſſariũ: ſi enim daremus oppoſitum, Antecedẽs eſſe neceſſarium & Conſequens non neceſſarium, tunc poſſet verum inferre falſum, quod fieri non poteſt. & patet: nam ſi Antecedens neceſſarium verum erit ſemper, ſic Conſequens non neceſſarium poterit eſſe falſum, tunc igitur Antecedens verũ inferet Conſequens falſum, vt, Homo videt, ergo homo eſt ani- *Regula 1.*

eſt animal: Antecedens quidem poſſibile, Conſequens neceſſarium, ex poſſibili verò vel contingenti nunquam ſequitur impoſſibile.

2. Princip. Regul. 2. SECVNDVM principium. Falſum non ſequitur niſi ex falſo. Huic innititur altera regula, Si Conſequens eſt falſum, Antecedens erit falſum, ſi Conſequens impoſſibile, etiam Antecedens erit impoſſibile, ſi Conſequens contingens, Antecedens non erit neceſſarium: aliter enim ſi Antecedens eſſet neceſſarium, eſſet ſemper verum, ſi autem Conſequens contingens poſſet eſſe falſum, & tunc Antecedens verum inferret conſequens falſum, contra primum principium.

3. Princip. TERTIVM principium. Ex falſo poteſt ſequi verũ, vel falſum, id eſt, fieri poteſt vt in bona Conſequẽtia ex Antecedẽti falſo ſequatur aliquando Conſequens verum, aliquãdo Conſequens falſum. V. g. Iſta eſt Conſequentia bona: Homo eſt lapis, ergo eſt corpus, vbi Antecedẽs falſum infert Conſequens verum: ſimiliter & iſta eſt bona, Homo eſt lapis, ergo caret ſenſu, vbi vtrunque falſum, cui principio innititur.

Regul. 3. TERTIA Regula. Ex Antecedenti impoſſibili poteſt inferri Conſequens aliquãdo impoſſibile, aliquando contingens, aliquando neceſſarium, vt patet in his Conſequentiis, Homo eſt equus, ergo homo eſt animal: hîc enim ex impoſſibili infertur neceſſarium. Similiter, Homo volat, ergo homo mouetur, ex impoſſ ſequitur contingens. Similiter etiam, Homo eſt leo, ergo homo eſt rugibilis: vtrunque eſt impoſ.

4. Princip. QVARTVM principium. Verum infertur ex vero, vel falſo, id eſt, Conſequens verum poteſt inferri aliquãdo ex Antecedenti vero, aliquando ex Antecedenti falſo. Ex quo ſequitur

Regul. 4. quarta Regula, Conſequens neceſſarium inferri aliquando ex Antecedenti impoſſibili, aliquando ex neceſſario, aliquando ex Contingenti; vt patet in his Conſequentiis, Homo eſt leo, ergo homo eſt animal, Homo eſt corpus, ergo homo eſt ſubſtantia, Equus eſt albus, ergo equus eſt corpus.

Regul 5. QVINTA Regula. In bona Conſequentia contradictorium Conſequentis infert contradictoriũ Antecedentis, non autẽ contrà. Valet enim, Homo currit, ergo homo mouetur, Non mouetur, ergo non currit. Non tamen valet à contradictorio Antecedentis: non enim valet, Non currit, ergo nõ mouetur.

Regul. 6. SEXTA Regula. Quicquid infertur ex Cõſequenti, infertur etiam ex Antecedenti, & ex quocũque infertur Antecedens, infertur etiam Conſequens. V. g. Homo eſt animal, ergo eſt viuens. Si ex hoc Conſequenti inferamus, Homo eſt corpus,

poterit

poterit etiam inferri ex illo Antecedenti, ſcilicet, Homo eſt animal, ergo homo eſt corpus: quæ Argumentatio dicitur, de primo ad vltimum. Similiter in eadem Conſequentia, ſi illud Antecedens, Homo eſt animal, infertur ex altero Antecedenti, nempe, Homo eſt rationalis, ex eadem poterit inferri idem Conſequens, nempe, Homo eſt rationalis, ergo homo eſt corpus.

HAE ſunt Regulæ pro Conſequentia bona obſeruandæ: poſt quarum explicationē ad ſpecies ipſius Argumentationis diſcutiendas tranſeamus. Habet enim Argumentatio quatuor ſub ſe ſpecies, Syllogiſmum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum: de quarum ſingulis ordine trademus, ac primùm de Syllogiſmo, qui omnium prima ſpecies eſt. Cùm autem ex Syllogiſmis quidam ſit hypotheticus, qui partem aliquā Antecedentis propoſitionem habet hypotheticam, quidam Categoricus, qui ex ſimplicibus propoſitionibus conficitur, initium ab hoc ſumemus, qui ſimplicior eſt. *Tranſitio.* *Argumentationis ſpecies quatuor.*

De Syllogiſmo Categorico, & eius principiis.

CAP. III.

SYLLOGISMVS, eſt oratio, in qua quibuſdā poſitis, neceſſariò aliud ſequitur per ea quæ poſita ſunt. Dicitur, oratio, loco generis. Additur, *quibuſdam*, vt intelligamus non vnam propoſitionē, ſed plures neceſſarias eſſe ad Syllogiſmum: non enim Syllogiſmus eſt Argumentatio quæ ex vnica propoſitione alteram infert, ſed quæ ex pluribus. Dicitur, *poſitis*, vt notum ſit, tales propoſitiones, ex quibus Syllogiſmus conficitur, aliquem inter ſe ordinem, & diſpoſitionem habere, quam inferiùs trademus. Dicitur etiam, *poſitis*, id eſt, conceſſis, quia vis Syllogiſmi tanta eſt, vt ſi ſemel quis Antecedens admiſerit, cogatur & Conſequens admittere ex virtute ipſius Antecedentis præconceſſi: & hoc ſignificatur in illo, quod dicitur, *Ex neceſſitate aliud ſequitur per ea quæ poſita ſunt.* Dicitur tandē, *aliud*, quia concluſio, quæ infertur, ſemper eſt Enunciatio aliqua ab Antecedenti diſtincta: non enim eſt Syllogiſmus, cùm idem infertur, quod erat in Antecedenti. Conſtat autem Syllogiſmus materia & forma. Materia quidem duplex eſt, remota, & propinqua. Remota ſunt Termini: Propinqua, ſimplices Propoſitiones, quarum ſubiecta, vel prædicata Termini dicuntur. Hi verò Termini, ex quibus Syllogiſ- *Syllogiſmus.* *Syllogiſmus ex materia & forma* *Materia duplex.* *Termini tres.*

Propoſitiones ſeu præmiſſæ duæ.

mus remotè conficitur, tres ſolùm ſunt: Propoſitiones autem duæ, quæ Præmiſſæ dicuntur, quæ ex illis conſtant Terminis. Cùm igitur duplex propoſitio ex tribus terminis, quin bis vnus ſumatur, componi nequeat, fit vt vnus illorũ in vtraq; propoſitione repetatur, & talis, Medium in Syllogiſmo dici ſolet: ille verò terminus, qui cum Medio in priori propoſitione, quæ Maior dicitur, aſſumitur, Maior extremitas appellatur: ille verò alter, qui in poſteriori propoſitione, quæ Minor dicitur, ſubſumitur, Minor extremitas vocatur, vt exemplo hoc patet, Omne animal eſt ſenſibile, Omnis homo eſt animal: vbi, Animal, eſt Medium, Senſibile, Maior extremitas, Homo, Minor extremitas.

Medium. Maior extremitas. Minor extremitas.

Syllogiſmi Forma. Figura. Modus.

Forma Syllogiſmi, eſt figura, & Modus. Figura, eſt ordinatio triũ terminorum inter ſe ſecundum debitam ſubiectionem, & prædicationem: id eſt, illa diſpoſitio, qua inter ſe ita diſponuntur, vt vnus de Medio, vel Medium de altero, vel de vtroque prædicetur, vel vterque de ipſo. Modus, eſt ordinatio propoſitionum inter ſe ſecundum certam qualitatẽ, & quantitatem, ſcilicet, quòd ſi vna propoſitio negatiua, altera ſit affirmatiua, vel ſi vna particularis, altera vniuerſalis, vel aliis modis, de quibus inferiùs dicemus.

Syllog. illatio duplex. Directa

Syllogiſmorum duplex eſt Modus inferẽdi, prior eorum, qui directè concludunt, poſterior eorum, qui indirectè. Ille Syllogiſmus directè concludit, qui concluſionem infert, in qua Maior extremitas de Minori prędicatur, qualis eſt iſte, Omne animal eſt ſenſibile, Omnis homo eſt animal, ergo Omnis homo eſt ſenſibilis. Ille verò concludit indirectè, qui concluſionem infert, in qua Minor extremitas de Maiori prædicatur, vt, Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Aliquod animal eſt Petrus. Eorum autem, qui directè cõcludunt, quidam eſt perfectus, quidam imperfectus. Perfectus, eſt qui nullius indiget, vt appareat neceſſariò concludere, id eſt, qui concluſionem ita clarè & dilucidè neceſſariò infert, vt lumine ipſo rationis ſtatim eius robur in concludẽdo perſpiciatur, vt in iſto, Omne animal eſt ſubſtantia, Omnis homo eſt animal, ergo Omnis homo eſt ſubſtantia. Imperfectus, eſt qui alicuius mutationis circa propoſitionem indiget, vt appareat neceſſariò concludere, id eſt, qui verè neceſſariò concludit, tamen non id apparet, quin priùs fiat aliqua mutatio, ſcilicet, aliqua conuerſio, vel tranſpoſitio propoſitionis, per quam ad perfectum reducatur: de qua reductione poſteà dicere oportet.

Indirecta. Directorũ alius Perfectus. Alius Imperfectus.

De

De triplici Figura Syllogiſmorum, & Regulis communibus earum,

CAP. IIII.

SYLLOGISMORVM Figura triplex eſt, iuxta triplicẽ Me- *Syllog. Fi-*
dij cum extremitatibus diſpoſitionem. Prima, in qua Me- *gura tri-*
dium alteri extremitati ſubiicitur, & de altera prædicatur, vt, *plex.*
Omne animal eſt ſubſtantia, Omnis homo eſt animal. Secun- *Prima.*
da, in qua de vtraque extremitate prædicatur, vt, Omnis ho- *Secunda.*
mo eſt animal, Nullus lapis eſt animal. Tertia, in qua vtrique *Tertia.*
extremitati ſubiicitur, vt, Omnis homo eſt corpus, Aliquis *Modi figu-*
homo eſt animal. Sub qualibet autem figura varij ſunt Syllo- *rarum va-*
giſmorum Modi, cùm ſecũdum quamlibet illarum multipli- *rij.*
citer poſſint in quantitate & qualitate ordinari propoſitio- *Regulæ fi-*
nes. Sunt tamen quædam Regulæ omni figuræ communes, *gurarum*
quas generaliter obſeruare oportet. *cõmunes.*

PRIMA. Ex puris particularibus nihil neceſſariò ſequitur, 1.
id eſt, quando vtraq; Præmiſſa eſt propoſitio particularis, vel Medium in vtraque particulariter ſupponit, tales Præmiſſæ erunt inhabiles ad inferendum aliquam concluſionem. Vnde iſte Syllogiſmus nihil valet, Homo eſt animal, Equus eſt animal, ergo Equus eſt homo; ſemper enim Medium debet in vna vel vtraque Præmiſſa vniuerſaliter ſupponere. Quòd ſi fuerit aliquod complexum diuiſiuè, ſufficiet vt vna pars in vna, altera in altera diſtribuatur, vt Omnis homo & Equus currit, Sortes & Brunellus homo, & Omnis equus ſunt, ergo Sortes & Brunellus currit.

SECVNDA. Ex puris negatiuis nihil ſequitur, id eſt, quan- 2.
do vtraque Præmiſſa fuerit propoſitio negatiua, nihil ex tali diſpoſitione ſequetur formaliter. Vnde iſte Syllogiſmus eſt nullus, Nullum accidens currit, Nullus homo eſt accidens, ergo Nullus homo currit. Dixi, formaliter, quia aliquando infertur concluſio, ſed id non prouenit ex vi Syllogiſmi & propoſitionum diſpoſitione, ſed propter naturam quorundam Terminorum, qui adinuicem vnus de altero negantur, vt, Nullus homo eſt lapis, Nullus equus eſt homo, ergo Nullus equus eſt lapis.

TERTIA. Si aliqua Præmiſſarũ fuerit particularis, conclu- 3.
ſio debet eſſe particularis, vt in hoc Syllogiſmo. Omnis muſicus cantat, Aliquis homo eſt muſicus, ergo Aliquis homo cantat. In hac autem Regula id etiam obſeruandum eſt, ne aliquis terminus particulariter ſupponẽs in præmiſſis, vniuer-

ſaliter ſupponat in concluſione. Vnde iſte Syllogiſmus non valet, Aliqua ſubſtantia non eſt animal, Omnis homo eſt animal, ergo Aliquis homo non eſt ſubſtantia: nam Maior extremitas ſupponebat in Præmiſſis determinatè, in concluſione verò diſtributiuè. Non autem valet à non diſtributo ad diſtributum.

4. QVARTA. Si aliqua Præmiſſarum fuerit negatiua, cõcluſio negatiua erit. Propter has autem duas Regulas dici ſolet, *Concluſio.* Concluſio ſequitur debiliorem partem, id eſt, ſi particularis, vel negatiua fuerit aliqua Præmiſſarum, talis erit concluſio.

5. QVINTA. Medium non debet aſſumi in concluſione, aliter enim eſſet concluſio eadem cum vna ex Præmiſſis. Non enim valet, Omne animal eſt ſubſtantia, Omnis homo eſt animal, ergo Omne animal eſt ſubſtantia.

Medium aliquando in Concluſione. ALIQVANDO licet Medium in concluſione ponere ad ſeruandam proprietatem Termini, vt Cognoſco Petrum, & Petrus eſt veniens, ergo Cognoſco Petrum, qui venit: non enim aliter valeret, ſcilicet, Cognoſco venientem, tunc enim variaretur appellatio, & daretur Antecedens verum, & Conſequens falſum.

De principiis quibus nituntur Syllogiſmi perfecti: & de Modis perfectis primæ figuræ.

CAP. V.

Duo principia naturalia perfecti Syllogiſmi. DVo ſunt principia naturali lumine perſpecta, quibus humanum ingenium diſſentire nequit: & in his nituntur quatuor Modi Syllogiſmorum concludentium directè primę Figuræ, qui Modi perfecti ob id ſunt, & ad eos cæteri reducuntur.

1. Principium. Dici de omni. ALTERVM principiũ eſt Quicquid affirmatur vniuerſaliter de aliquo ſubiecto, affirmabitur de illo, de quo tale ſubiectũ affirmatur: quod principium vocant Dici de omni. In quo *Primus Modus primæ figuræ* fundantur duæ Conſequentiæ perfectiſſimæ, & Syllogiſmorũ duplex Modus. Prior. Quando prædicatũ vniuerſaliter affirmatur de ſubiecto, vniuerſaliter affirmabitur de eo, de quo tale ſubiectũ etiam vniuerſaliter affirmatur, vt, Omne animal eſt ſubſtãtia, Omnis homo eſt animal, ergo Omnis homo eſt ſubſtantia. Et iſte dicitur primus Modus figuræ primæ, ſcilicet, ex vniuerſalibus affirmatiuis. *Tertius modus primæ figuræ.* Poſterior eſt. Quando prædicatum de aliquo vniuerſaliter affirmatur, ſi tale ſubiectum de alio particulariter affirmatur, etiam & prędicatũ de eodem particulariter affirmabitur, vt, Omne animal eſt viuens, Aliquod corpus eſt animal, ergo Aliquod corpus eſt viuens.

Alterum

Alterum principium eſt. Quando vniuerſaliter negatur aliquod prædicatū ab aliquo ſubiecto, negabitur de eo etiam cui tale ſubiectum cōpetit:& ad hoc vocatur Dici de nullo.In quo fundantur duo Modi Syllogiſmorum perfectorum Prior eſt. Quando prædicatum vniuerſaliter negatur ab aliquo ſubiecto, vniuerſaliter etiam negatur de omni eo, de quo ſubiectum vniuerſaliter affirmatur, vt Nullum animal eſt lapis, Omnis homo eſt animal,ergo Nullus homo eſt lapis. Poſterior eſt. Quando prædicatum vniuerſaliter negatur de ſubiecto, & ſubiectum tale particulariter de aliquo prædicatur, ab illo particulari illud prędicatum remouebitur,vt,Nullum album eſt nigrum, Aliquis homo eſt albus, ergo Aliquis homo non eſt niger.

2. Principium. Dici de nullo. Secundus Modus prima Figuræ. Quartus Modus prima Figuræ.

Haec igitur duo principia per ſe nota quatuor Modos perfectos conſtituunt in prima Figura, vt Primus ſit vniuerſalis affirmariuus,Secundo loco collocetur vniuerſalis negatiuus, Tertio particularis affirmatiuus,Quarto particularis negatiuus. Sic autem vocantur, quia per Primum infertur vniuerſalis affirmatiua concluſio, per Secūdum vniuerſalis negatiua, per Tertium particularis affirmatiua, per Quartum verò particularis negatiua.

Quatuor Modorum perfectorū prima Figuræ appellatiões, & earum ratio.

Antiqui memoriæ cauſa carmina compoſuerunt, quibus omnes vtiles Modi omnium Syllogiſmorum cuiuſque Figuræ continerentur.Sunt autem iſta:

Barbara,Celarent,Darij,Ferio,Baralipton,
Celantes,Dabitis,Fapeſmo,Friſeſomorum:
Ceſare,Cameſtres,Feſtino,Baroco,Darapti,
Felapton,Diſamis,Datiſi,Bocardo,Feriſon.

Verſus artificiosè cō plectentes omnes vtiles Modos trium Figurarum.

In quibus obſeruandū eſt eſſe quatuor vocales, A, E,I,O. Per, A,intelligitur vniuerſalis affirmatiua:per, E, vniuerſalis negatiua: per, I, particularis affirmatiua: per, O, particularis negatiua. Similiter obſeruandum eſt in ſingulis dictionibus, eſſe tres ſyllabas:ſi enim in aliquibus ſunt plures,vltimę ſunt metri cauſa.Per primam ſyllabam intelligenda eſt Maior,per ſecundam Minor,per tertiam Concluſio.Duo prima carmina ſunt pro prima Figura : in quibus ſi reſpicias quatuor dictiones primas, inuenies quatuor Modos Syllogiſmorum perfectorum prædictos. Barbara, continet vniuerſalem affirmatiuum,Celarent,vniuerſalem negatiuum, Darij, particularem affirmatiuum, Ferio, particularem negatiuum. Nec oportuit diſtinxiſſe alios duos Modos in quibus ex duabus vniuerſalibus affirmatiuis inferretur particularis affirmatiua, & ex

duabus vniuerſalibus, altera negatiua, & altera affirmatiua, inferretur particularis negatiua. Nam hi Modi ſub Barbara & Celarent, continentur: Syllogiſmus enim qui infert vniuerſalem, poteſt etiam particularem ſubalternatam inferre.

De Modis indirectè concludentibus in prima Figura; & de inutilibus Modis eiuſdem.

CAP. VI.

Modi quinque indirecti primæ Figuræ. PRAETER quatuor prædictos Modos perfectos, ſunt adhuc in prima Figura alij quinque indirectè concludentes, ſequentibus quinque dictionibus indicati.

1. Baralipton. PRIMVS eſt, Baralipton. Ex duplici vniuerſali affirmatiua, concluditur particularis affirmatiua. Omne animal eſt ſubſtantia, Omnis homo eſt animal, ergo Aliqua ſubſtantia eſt homo.

2. Celãtes. SECVNDVS, Celantes. Ex duplici vniuerſali, altera negatiua, & altera affirmatiua, concluditur indirectè vniuerſalis negatiua: Nullum animal eſt inſenſibile, Omnis homo eſt animal, ergo Nullum inſenſibile eſt homo.

3. Dabitis. TERTIVS eſt, Dabitis. Ex Maiori vniuerſali affirmatiua, & Minori particulari affirmatiua, concluditur particularis affirmatiua, Omne album eſt currens, Aliquis homo eſt albus, ergo Aliquod currens eſt homo.

4. Fapeſmo. QVARTVS eſt, Fapeſmo. Ex Maiori vniuerſali affirmatiua, & Minori vniuerſali negatiua, concluditur negatiua concluſio particularis: Omne album eſt coloratum, Nullus coruus eſt albus, ergo Aliquod coloratum non eſt coruus.

5. Friſeſomorum. VLTIMVS eſt, Friſeſomorum. Ex Maiori particulari affirmatiua, & Minori vniuerſali negatiua, concluditur particularis negatiua: Aliquod nigrum eſt homo, Nullum album eſt nigrum, ergo Aliquis homo non eſt albus.

Regul. duæ de Modis perfectis primæ Figuræ. SVNT autẽ duæ Regulæ Modis omnibus perfectis primæ figuræ conuenientes, quæ in Modis indirectè concludentibus non habent vniuerſaliter locum: quarum prior eſt. In Modis perfectis primæ Figuræ, Minori exiſtenti negatiua, nihil ſequitur. 1. Vnde non valet, Omne album eſt coloratum, Nullus coruus eſt albus, ergo Nullus coruus eſt coloratus. Huius Regulæ ratio eſt, Quia argumentamur à nõ diſtributo ad diſtributum ex parte Maioris extremitatis: cuius ſignũ eſt, ſi enim talis extremitas in Maiori diſtribueretur, eſſet Syllogiſmus bonus, ſed talis propoſitio eſſet à cõmuni modo loquẽdi aliena. Vnde iſte valet, Omne album eſt omne coloratum, Nullus

coruus

coruus eſt albus, ergo Nullus coruus eſt coloratus. Hæc tamē Regula non habet locum in Modis indirectè concludentibus: in Fapeſmo enim & Friſeſomorum valet Minori exiſtenti negatiua, vt diximus.

POSTERIOR Regula eſt. In primæ figuræ Modis perfectis, Maiori exiſtēti particulari, nihil ſequitur. Vnde nō valet, Aliquod coloratum eſt album, Omne nigrū eſt coloratum, ergo Omne nigrū eſt album. Huius Regulæ ratio eſt, quia Maiori exiſtenti particulari, Mediū in neutra Præmiſſarum vniuerſaliter ſumitur, cuius ſignum eſt, ſi in vna diſtribuatur, valebit: ſed talis propoſitio erit inuſitata, vt, Aliquod coloratum eſt album, Omne nigrū eſt omne coloratum, ergo omne nigrum eſt album. Hæc etiā Regula nō valet in Modis indirectè concludentibus: nā in Friſeſom valet Maiori exiſtēti particulari. 2

Primæ Figuræ quatuor tantum Modi perfecti, nec plures.

Ex his Regulis ſimul cum prioribus communibus colligitur, non poſſe eſſe in prima Figura niſi quatuor Modos perfectos. Nam duæ propoſitiones quadrupliciter poſſunt ſecundum quantitatem ordinari: aut enim vtraque vniuerſalis, aut vtraque particularis, aut Maior vniuerſalis, & Minor particularis, aut Maior particularis, & Minor vniuerſalis. Quæque autē harū ſecundùm qualitatem poſſunt adhuc quadrupliciter diſponi: quādo enim vtraque eſt vniuerſalis, tūc aut vtraque eſt affirmatiua, & ſic eſt primus Modus vtilis ad inferendum in Barbara, aut vtraque negatiua, & hic eſt Modus inutilis: quia ex negatiuis nihil ſequitur, aut prima eſt negatiua & ſecunda affirmatiua: & iſte Modus eſt vtilis in Celarent, aut Maior eſt affirmatiua & Minor negatiua: & iſte eſt inutilis Modus per priorem Regulam poſitam. Item, quando vtraque eſt particularis, tunc aut vtraque eſt affirmatiua, vel vtraque negatiua, vel prior affirmatiua, & poſterior negatiua, vel prior negatiua, & poſterior affirmatiua, & in his omnibus nullus reperitur Modus vtilis, quia ex puris particularibus nihil ſequitur. Si verò Maior ſit vniuerſalis, & Minor particularis, aut vtraque affirmatiua, & iſte eſt Modus vtilis in Darij: aut vtraque negatiua, & tunc eſt inutilis: aut prior negatiua, poſterior affirmatiua, & eſt vtilis in Ferio: vel Maior eſt affirmatiua & Minor negatiua; & iſte eſt inutilis: quia in prima figura Minori exiſtenti negatiua, nihil ſequitur. Poſtremò, poteſt eſſe Minor vniuerſalis, & Maior particularis; aut vtraq; negatiua, aut vtraque affirmatiua; vel prior affirmatiua, poſterior negatiua; vel prior negatiua, & poſterior affirmatiua: & nullus ex iſtis Modis eſt vtilis, quia Maiori exiſtēti particulari, nihil

g 4 ſequitur

ſequitur in prima Figura. Vnde ſolùm ſuperſũt quatuor Modi, duo collecti ex prima combinatione, duo alij ex tertia: qui Modi ſunt illi prædicti, incluſi quatuor dictionibus primis.

De Regulis ſecundæ Figuræ, & eius Modis.

CAP. VII

Secunda Figura. SECVNDA Figura eſt, in qua Medium prædicatur de vtraque extremitate: cuius Figuræ tres Regulæ ſpeciales ſunt.

1. Regula ſecũda Figuræ. PRIMA. Quando Maior eſt particularis, non valet Syllogiſmus: non enim ſequitur, Aliquod coloratũ eſt album, Nullum nigrum eſt album, ergo Nullum nigrum eſt coloratum. Ratio huius eſt, quia ex parte Maioris extremitatis argumentamur à non diſtributo ad diſtributum. Vnde ſi aliqua via fuerit per quã talis extremitas in concluſione non diſtribuatur, valebit Syllogiſmus, vt Aliquod coloratũ eſt album, Nullum nigrum eſt album, ergo Nullum nigrũ omne coloratum eſt.

2 SECVNDA. Ex puris affirmatiuis non valet Syllogiſmus: Omnis homo eſt animal, Omnis leo eſt animal, ergo Omnis leo eſt homo. Huius ratio eſt, quia in neutra Præmiſſarum Medium vniuerſaliter ſumitur, cuius ſignum eſt, ſi in altera diſtribuatur, valebit Syllogiſmus, Omnis homo omne animal eſt, Omnis leo eſt animal, ergo Omnis leo eſt homo.

3 TERTIA. In ſecunda Figura ſemper concluſio negatiua debet eſſe. Hæc pendet ex illa Regula communi, Vna Præmiſſa negatiua exiſtenti, concluſio negatiua erit.

Secundæ Figuræ quatuor Modi vtiles. IN SECVNDA Figura quatuor Modi vtiles inueniuntur, ſelecti ex ſexdecim Modis, ſicut in prima Figura. Deſignantur autem quatuor dictionibus primis tertij carminis, ſcilicet, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

1. Ceſare. PRIMVS EST, Ceſare. Ex Maiori negatiua vniuerſali, & minori affirmatiua vniuerſali, infert concluſionẽ negatiuam vniuerſalem directè: Nullus lapis eſt animal, Omnis homo eſt animal, ergo Nullus homo eſt lapis. Poteſt hic indirectè concludere ſi conuertens cõcluſionis inferatur, ſcilicet, Nullus lapis eſt homo.

2. Cameſtres. SECVNDVS eſt, Cameſtres. Ex Maiori vniuerſali affirmatiua, & Minori negatiua vniuerſali, inferrur concluſio negatiua vniuerſalis directè. Et quia negatiua conuertitur ſimpliciter etiam hic Modus poteſt indirectè concludere, Omnis homo eſt animal, Nullus lapis eſt animal, ergo Nullus lapis eſt homo, vel indirectè Nullus homo eſt lapis.

3. Feſtino. TERTIVS EST, Feſtino. Ex Maiori negatiua vniuerſali,

& Mino

& Minori affirmatiua particulari ſequitur concluſio negatiua particularis. Nullum iniuſtum eſt bonum, Aliquis homo eſt bonus, ergo Aliquis homo non eſt iniuſtus. Iſte modus non concludit indirectè, quia particularis negatiua nec ſimpliciter nec per accidens conuerti poteſt.

QVARTVS modus eſt, Baroco. Ex Maiori vniuerſali affirmatiua, & Minori particulari negatiua, cõcluſio infertur particularis negatiua, Omne currens mouetur, Aliquis homo nõ mouetur, ergo Aliquis homo non eſt currens. Eadem ratione nec iſte poteſt indirectè concludere. Poſſet præter hos alius eſſe Modus concludens indirectè, ſcilicet, Ex Maiori affirmatiua particulari, & Minori negatiua vniuerſali, quem Modum diximus ineptum ad concludendum directè: vnde valet, Aliquod coloratum eſt album, Nullum nigrum eſt album, ergo Aliquod coloratum non eſt nigrum, qui Modus correſpondet Friſeſom, qui erat in prima Figura, concludens indirectè. 4. *Baroco.*

De tertia Figura, Regulíſque & Modis eius.

CAP. VIII.

TERTIA figura eſt in qua Medium vtrique extremitati ſubiicitur. Duo autem ei inſunt. Alterum eſt, Minori exiſtenti negatiua nihil ſequitur: vnde non valet, Omne animal eſt corpus, Aliquod animal non eſt lapis, ergo Lapis non eſt corpus. Ex parte enim Maioris extremitatis arguitur à non diſtributo ad diſtributum: cuius ſignum eſt, ſi in concluſione non diſtribuatur Maior extremitas, valebit, vt, Omne animal eſt corpus. Aliquod animal nõ eſt lapis, ergo Lapis non omne corpus eſt. *Tertia Figura.*

ALTERVM eſt, in Tertia Figura ſemper concluſio eſt particularis: vnde non valet, Omnis homo eſt rationalis, Omnis homo eſt animal, ergo Omne animal eſt rationale. Arguitur enim à non diſtributo ad diſtributũ ex parte Minoris extremitatis: cuius ſignũ eſt, ſi illa Minor extremitas diſtribuatur, valebit Syllogiſmus. Sed tales propoſitiones efficiũtur de inconſueto modo loquendi: vnde valet, Omnis homo eſt rationalis, Omnis homo omne animal eſt, ergo Omne animal eſt rationale.

IN tertia Figura ſex Modi vtiles inueniuntur, ſignificati vltima dictione tertij carminis, ſcilicet Darapti & ſequentibus. *Tertia Figura ſex Modi vtiles.*

PRIMVS igitur eſt in Darapti. Ex vtraque Præmiſſa vniuerſali affirmatiua ſequitur concluſio particularis affirmatiua: Omne animal eſt ſubſtantia, Omne animal eſt ſenſibile, ergo Aliquod ſenſibile eſt ſubſtantia. 1. *Darapti*

2. *Felaptõ.* SECVNDVS eſt in Felapton. Ex Præmiſſis vniuerſalibus Maiori negatiua & Minori affirmatiua infertur concluſio particularis negatiua; Nullum animal eſt inſenſibile; Omne animal eſt corpus, ergo Aliquod corpus non eſt inſenſibile.

3. *Diſamis.* TERTIVS eſt in Diſamis. Ex Maiori particulari affirmatiua, & Minori affirmatiua vniuerſali infertur concluſio affirmatiua particularis; Aliquod animal currit, Omne animal eſt ſubſtantia, ergo Aliqua ſubſtantia currit.

4. *Datiſi.* QVARTVS eſt in Datiſi. Ex Maiori vniuerſali affirmatiua, & Minori particulari affirmatiua, infertur concluſio particularis affirmatiua; Omne currens mouetur, Aliquod currens eſt homo, ergo Aliquis homo mouetur.

5. *Bocardo.* QVINTVS eſt in Bocardo. Ex Minori affirmatiua vniuerſali, & Minori negatiua particulari, infertur concluſio negatiua particularis: Equus non eſt homo, Omnis equus eſt animal, ergo Aliquod animal non eſt homo.

6. *Feriſõ.* SEXTVS eſt in Feriſon. Ex Maiori vniuerſali negatiua, & Minori particulari affirmatiua, ſequitur concluſio particularis negatiua: Nulla arbor eſt animal, Aliqua arbor eſt corpus, ergo Aliquod corpus non eſt animal.

ETIAM in hac figura Syllogiſmi indirectè concludũt, quorum concluſiones ſimpliciter conuerti poſſunt, quales ſunt tres exiſtentes in Darapti, Diſamis, Datiſi. Ex his omnibus patet, vndeuiginti Modos eſſe vtiles, nouem ex prima figura, quatuor ex ſecunda, ſex ex tertia. Patet etiam in prima Figura concludi omnia genera propoſitionum, ſcilicet vniuerſalem affirmatiuam, vniuerſalem negatiuam, & particulares affirmatiuam & negatiuam. In ſecunda verò figura ſolùm vniuerſalem, & particularem negatiuas, in tertia particulares affirmatiuam & negatiuam. Patet etiam, inter omnes propoſitiones particularem negatiuam pluribus poſſe Modis ſyllogizari: concluditur enim directè in vno primæ, & duobus Modis ſecundæ, & tribus tertiæ figuræ. Poſt hanc, particularem affirmatiuam: concluditur enim in vno primæ & tribus tertiæ. Poſt hanc, vniuerſalem negatiuam, quæ ſolùm in vno primæ & duobus ſecundæ concluditur. Vltimum locum habet vniuerſalis affirmatiua, quæ ſolùm ſyllogizatur in Barbara.

De modis reducendi Syllogiſmos imperfectos ad perfectos.

CAP. IX.

SVPERIVS Syllogiſmos imperfectos ad perfectos, qui ſolùm ſunt quatuor primę Figuræ, reducẽdos eſſe diximus, vt

vt eorum vis, & in cõcludendo robur magis innoteſcat: prius tamẽ modum, quo id fiat, tradere oportet. Fit autem dupliciter iſta reductio, aut per Oſtenſionem, aut ad Impoſſibile Reductio per Oſtenſionem, eſt cùm aliquis Syllogiſmus ex illis imperfectis per conuerſionem alicuius propoſitionis per eoſdem terminos fit in aliquo ex quatuor perfectis, vt ſi fiat Syllogiſmus in Ceſare, Nullus lapis eſt animal, Omnis homo eſt animal, ergo Nullus homo eſt lapis, reducitur ad Celarent Oſtenſiuè, nempe per ſimplicem conuerſionem Maioris, ſic, Nullum animal eſt lapis, Omnis homo eſt animal, ergo Nullus homo eſt lapis. Vtimur autem hac oſtenſione, vt manifeſtemus concluſiones Syllogiſmorũ optimè ſequi ex ſuis Præmiſſis. Vis autem probationis in hac Regula conſiſtit: Quicquid ſequitur ex Conſequenti bonæ conſequentiæ, ſequitur etiam ex Antecedenti. Cùm igitur ſit bona conſequentia à conuerſa ad conuertentem, quicquid ſequitur ex conuertente, etiam ſequetur ex conuerſa. Talis autem concluſio ſequitur ex conuertente, vt manifeſtè patet in Syllogiſmo perfecto, ergo eadem concluſio benè inferebatur etiam ex conuerſa, quæ erat Præmiſſa Syllogiſmi imperfecti.

Duplex reductio. *Per oſtenſionem.* *Vſus reductionis.* *Per oſtenſionem.*

REDVCTIO ad Impoſſibile, eſt cùm ex contradictorio concluſionis cum aliqua Præmiſſa infertur contradictorium alterius Præmiſſæ, & hoc in Syllogiſmo perfecto. Fiat enim Syllogiſmus in Baroco, Omne ſenſibile eſt animal, Arbor non eſt animal, ergo Arbor non eſt ſenſibilis. Si ſumatur contradictorium concluſionis huius pro Minori cum eadem Maiori, inferetur in Barbara contradictorium Minoris præcedentis, vt, Omne ſenſibile eſt animal, Omnis arbor eſt ſenſibilis, ergo Omnis arbor eſt animal.

Ad Impoſſibile.

VSVS huius reductionis eſt, cùm quis negat concluſionem prædicti Syllogiſmi conceſſa Maiori, & Minori, exiſtimans conſequentiam non eſſe bonã, ob idque Præmiſſas poſſe veras eſſe, concluſione exiſtente falſa. Tũc aduerſus huiuſmodi hominem ſumendum eſt contradictoriũ concluſionis, quam negat: quod tenetur admittere tãquam verum, cùm duo contradictoria ſimul vera non ſint, & illud idem cõtradictorium ſimul cum vna ex Præmiſſis conceſſis inferetur contradictorium alterius Præmiſſæ etiã cõceſſæ in Modo perfecto, quem non poſſit ipſe negare, vt teneatur admittere duo cõtradictoria, quod eſt maximè abſurdum, vel conſequentiam priorem affirmare & probare, vt bonam, cùm non poſſit Conſequens illius eſſe falſum, Antecedente exiſtente vero, Verbi gratia in Syllo

Vſus reductionis ad Impoſſibile.

in Syllogiſmo prædicto concedit quis, Omne ſenſibile eſt animal, Arbor non eſt animal: negat autem concluſionem, Arbor non eſt ſenſibilis: tunc argumentor, Contradictorium igitur erit verum, nempe, Omnis arbor eſt ſenſibilis, cum eadem igitur Maiori, quæ data eſt vera, infero in Syllogiſmo perfecto contradictorium Minoris, ſic, Omne ſenſibile eſt animal, Omnis arbor eſt ſenſibilis, ergo Omnis arbor eſt animal. Syllogiſmus hic in Barbara euidenter colligit ex præmiſſis veris concluſionem veram, quæ eſt contradictoria Minoris conceſſæ vt veræ, non igitur dandum fuit contradictorium illius concluſionis verum eſſe. Ecce quo pacto conuincitur, concluſionem in Baroco non potuiſſe eſſe falſam, Præmiſſis exiſtentibus veris: ex quo conſtat talem Syllogiſmum eſſe Argumentationem bonam, cùm non poſſint Præmiſſæ veræ eſſe concluſione falſa. Hi igitur ſunt duo Modi Syllogiſmos reducendi ad quatuor illos perfectos primæ Figuræ.

De modo, quo ſinguli Imperfecti ad Perfectos reducantur.

CAP. X.

Conſonantes vocabulorum, quibus Modi ſignificantur, quid denotent. C. F. B. D.

QVI autem Syllogiſmi, & qualiter, & ad quos perfectos reducantur, manifeſtandū eſt. Omnes igitur Syllogiſmi cuiuſq; figuræ reducuntur ad illos quatuor primos perfectos primę, ſed non eodē modo, nec omnes ad vnum. Quod vt facilius intelligatur, notādæ ſunt quatuor conſonantes, quæ in dictionibus præſcriptis reperiuntur, prima, quæ eſt in principio cuiuſq; dictionis, & hæc denotat talem Syllogiſmū reducendum eſſe ad Modū perfectum, qui tali litera incipit, vt qui incipit in, C, ad Celarent, qui, F, ad Ferio, qui, B, ad Barbara, qui, D, ad Darij, Vnde Ceſare, Cameſtres, Celantes, ad Celarēt reducuntur: Baroco & Bocardo, ad Barbara: Feſtino, Feriſon, Fapeſmo, Felapton, ad Ferio: reliqui ad Darij. Eſt etiam, S, & hæc denotat talem Præmiſſam, vel concluſionem ſignificatam per vocalē præcedentem, conuertendam eſſe ſimpliciter, vt Ceſare, ratione primæ, nempe, C, indicat reducendū ad Celarent, ratione, S, notatur, Maiorē, quæ ſignificatur per
S E, ante S, cōuertendā ſimpliciter. Eſt etiā, P, & hæc notat con-
P. uērſionē per accidens Prēmiſſæ notatæ in vocali præcedenti, vt, Darapti denotatur, vt cōuertatur ad Darij per ſolam con-
M. uerſionem Minoris, vbi eſt, P, per accidens. Eſt præterea, M, & hæc denotat tranſpoſitionem præmiſſarum, vt ex Maiori
C. fiat Minor. Denique eſt, C, & notat talem Modum reducendum per Impoſſibile, ſumpto contradictorio concluſionis loco

loco præmiſſæ notatæ per vocalem antecedentem.

Svb hac autem reductione includuntur Modi imperfecti indirectè concludētes. Ceſare igitur reducitur ad Celarēt per cōuerſionem ſimplicē Maioris, Nullus lapis eſt animal, Omnis homo eſt animal, ergo Nullus lapis eſt homo, ſi dicas; Nullum animal eſt lapis, Omnis homo eſt animal, ergo Nullus homo eſt lapis. Cameſtres etiā ad Celarent, per conuerſionem ſimplicem Minoris, quod notatur in, S, medio, & Præmiſſarū tranſpoſitionem, quod notatur per illud, M, & ſimplicem conuerſionem concluſionis, quod notatur per vltimum, S: Verbi gratia, Omnis homo eſt animal, Nulla arbor eſt animal, ergo Nulla arbor eſt homo: Reducitur ſic: Nullum animal eſt arbor, Omnis homo eſt animal, ergo Nullus homo eſt arbor. *Modorum imperfectorum indirectorū reductio.*

Baroco ad Barbara ad Impoſſibile, quod ſignificatur per, C, cum eadem Maiori, & contradictorio concluſionis poſito pro Minori, Omnis homo eſt animal, Arbor non eſt animal, ergo Arbor non eſt homo, ſic, Omnis homo eſt animal, Omnis arbor eſt homo, ergo Omnis arbor eſt animal.

Eadem obſeruatione poterunt omnes alij facilè reduci, quos pro exercitatione iuuenum reducendos relinquimus. Quamuis autem Baroco, & Bocardo per Impoſſibile reducantur, non ita hoc intelligendum eſt, quaſi alij non reducantur, ſed quòd hi non Oſtenſione, ſed tantùm per Impoſſibile reducantur: cæteri enim & Oſtenſione, & per Impoſſibile reduci poſſunt.

Quo pacto alij Modi ad Impoſſibile reducantur.

CAP. XI.

Cvm non ſolùm illi Modi duo, ſed etiam omnes alij ad Impoſſibile reducantur in eoſdem quatuor primæ figuræ, ſupereſt vt modum quo reduci poſſit, & ad quem ex illis quatuor reducātur, aperiamus. Non enim eadem via omnes, nec ad eundem modum, ad quem per Oſtenſionem, reducuntur. Propterea aduertendum eſt primò Syllogiſmos quatuor ſecundæ figuræ reduci, ſumpto contradictorio concluſionis pro Minori cum eadem Maiori, ex quibus infertur contradictorium Minoris, vt fiat in Ceſare Syllogiſmus, Nullus lapis eſt animal, Omnis homo eſt animal, ergo Nullus homo eſt lapis: Reducitur ſic iuxta prædictam regulam, Nullus lapis eſt animal, Aliquis homo eſt lapis, ergo Aliquis homo non eſt animal, qui Syllogiſmus eſt in Ferio. At Syllogiſmi tertiæ Figuræ reducuntur contradictorio concluſionis ſumpto pro Maiori, cum eadem Minori, ex quibus infertur contra *Reductio ſecūdæ Figuræ ad Impoßibile.* *Reductio Tertiæ Figuræ ad Impoßibile.*

tradictorium Maioris, vt fiat Syllogiſmus in Darapti, Omnis homo eſt animal, Omnis homo eſt riſibilis, ergo Aliquod riſibile eſt animal: Reducitur iuxta regulam ſic, Nullum riſibile eſt animal, Omnis homo eſt riſibilis, ergo Nullus homo eſt animal, in Celarent.

Reductio Modorum indirectorũ primæ Figuræ ad Impoßibile.

In Modis autem indirectis primæ aſſumendum eſt contradictorium concluſionis pro Maiori, & Maior debet fieri Minor, ex quibus inferetur contradictorium Minoris mediatè: præter Celantes, in quo Minor ſumenda eſt pro Maiori, & contradictorium concluſionis pro Minori ad inferendum contradictorium Maioris: vt, fiat Syllogiſmus in Fapeſmo, Nullum animal eſt inſenſibile, Omnis homo eſt animal, ergo Aliquod inſenſibile non eſt homo; Reducatur ſic ad Barbara, Omnis homo eſt animal, Omne inſenſibile eſt homo, ergo Omne inſenſibile eſt animal.

Reductio ad Impoſſibile non ſemper infert contradictorium.

Advertendvm eſt ſecundò, in Syllogiſmis ad Impoſſibile reducentibus non ſemper inferri contradictorium Præmiſſæ alterius Syllogiſmi primò & immediatè: aliquando enim infertur contraria, vt in Darapti: aliquando contraria conuertentis negatiuè, vt in Fapeſmo: ſed quia ex iſtis facile eſt deducere contradictoria, propterea aſſeritur, Syllogiſmum ad Impoſſibile inferre contradictorium.

Vocabula Reductionis ad Impoß. ad modos primæ figuræ.

Advertendvm eſt tertiò, eſſe aliquot dictiones, quibus manifeſtatur ad quos Modos primæ Figuræ, reliqui ad Impoſſibile reducantur, nempè, *Neſciebatis, Odiebam, Lætare, Romanis*, in quibus tria conſideranda ſunt. Primum, eſſe quatuor vocales denotantes illos quatuor primæ figuræ, A, denotat Barbara, E, Celarent, I, Darij, O, Ferio. Deinde prima dictio habet quinque ſyllabas pro quinque Modis indirectis primæ Figuræ, ſecunda quatuor pro quatuor Modis ſecundæ. duæ vltimæ ſex pro ſex Modis tertiæ. Poſtremò primæ ſyllabæ ſignificant primos Modos, ſecundę ſecundos, & ſic conſequenter in qualibet dictione. Vnde, *Neſciebatis*, prima ſyllaba eſt pro Baralipton, notat reducendum ad Celarent Secunda notat Celantes reducendum ad Darij, & ſic conſequenter. Pariter in ſecunda Figura, *Odiebam*, prima indicat Ceſare reducendum ad Ferio, ſecunda Cameſtres reducendum ad Darij: eadem eſt ratio in aliis omnibus.

Reductio duorũ particulariũ Modorum primæ figuræ ad duos vniuerſales ad Impoß.

Advertendvm eſt vltimò, Ariſtotelẽ etiã duos ex prima figura Modos particulares reduxiſſe ad alios duos vniuerſales ad Impoſſibile, ſed non immediatè, ſicut reliquos, ſed mediatè: nã primò reducuntur ad ſecũdã Figurã, & ex ſecunda

figu

ſigura per Oſtenſionem poſteà reducuntur ad Barbara, & Celarent, vt Darij ad Impoſſibile reducitur ad Cameſtres eadem Regula, qua Syllogiſmi ſecundæ Figuræ reducuntur: nempe, cum eadem Maiori, & contradictorio concluſionis pro Minori, ex quibus infertur contradictorium Minoris: vt, fiat in Darij, Omne animal ſentit, Aliquod album eſt animal, ergo Aliquod album ſentit: Reducitur, Omne animal ſentit, Nullum album ſentit, ergo Nullum album eſt animal. Ferio autem reducitur ad Celarent, vt Nullus lapis eſt animal, Aliquod album eſt lapis, ergo Aliquod album non eſt animal: Reducitur, Nullus lapis eſt animal, Omne album eſt animal, ergo Nullum album eſt lapis. Poſteà verò hos reducere ad Celarent Oſtenſiuè facile eſt. Ex quibus omnibus patet quot ſint Syllogiſmorum Modi, & quo pacto omnes ad illos duos vniuerſales primæ, tanquam ad fontem reducantur. Erit ſatis vtile, ſi ſtudioſi iuuenes in his reducendis maximè exerceantur, totum enim negotium Logicum maximè ex naturæ Syllogiſmi recta cognitione, & ſpeculatione dependet, ob idque nos quoſdam ſolùm reduximus, vt iuxta Regulas his exemplis illuſtratas reliquos inter ſe conferentes reducerent.

Darij. *Ferio.* *Omnes Modi ad duos vniuerſales primæ Figuræ reducuntur vt ad fontem.*

De arte inueniendi Medium ad concludendum quanque propoſitionem.

CAPVT XII.

POSTQVAM vniuerſos Modos concludendi in qualibet Figura oſtendimus, ſupereſt vt artem, qua, propoſita quauis concluſione, Medium aptum ad eam concludendum inueniatur, oſtendamus. Hæc autem ſequentibus continetur concluſionibus, antè quas oportet ſupponere notitiam trium terminorum, ſcilicet Medij, Antecedentis, Conſequentis, & Extranei. Illud Medium dicitur Antecedens ad aliquem terminum, quod infert illum vel tanquam inferius, vel tanquam conuertibile, vt Homo eſt Antecedens ad animal, & ad riſibile. Illud dicitur Conſequens alicuius, quod infertur ex illo, vel tanquam ſuperius, vel tanquam conuertibile, vt animal eſt Conſequens ad hominem, & hinnibile ad equum. Illud autem dicitur Extraneum, quod de illo non poteſt affirmari, vt homo ad equum.

Concluſiones inueniendi Medij. *Tres termini.* *Antecedens.* *Conſequens.* *Extraneū.*

EST igitur prima concluſio. Ad concludendum vniuerſalem affirmatiuam, quòd ſolùm ſit Barbara, oportet ſumere Medium Conſequens ad ſubiectum, & Antecedens ad prædicatum, id eſt, terminum qui de ſubiecto prædicetur, & ſit illo

Concluſ. 1. ad vniuerſalem affirm. in Barbara.

ſuperior,& inferior prædicato.V.g.ad concludendum,Omne animal eſt ſubſtantia,ſume,corpus,Omne corpus eſt ſubſtantia,Omne animal eſt corpus, ergo Omne animal eſt ſubſtantia:vel ſume aliquod conuertibile cum ſubiecto,ſcilicet,ſenſibile,ſic,Omne ſenſibile eſt ſubſtantia,Omne animal eſt ſenſibile,ergo Omne animal eſt ſubſtantia.

2. ad Particularem affirmatiuã in Darapti.

Secvnda. Ad concludendam particularẽ affirmatiuam in tertia figura,vel in prima per conuerſionem particularis affirmatiuæ,ſumendũ eſt Medium quod ſit Antecedens ad vtrunque, ſcilicet ſubiectũ & prædicatum:verbi gratia, ad concludendum,Aliquod animal eſt ſubſtantia, ſume iſtud Medium, homo,ſic,Omnis homo eſt ſubſtanria, Omnis homo eſt animal, ergo Aliquod animal eſt ſubſtantia,in Darapti.

3. ad Vniuerſalem negatiuam in Ceſare & Celarent.

Tertia. Ad concludendũ vniuerſalẽ negatiuam in Ceſare,& Celarent ſumendum eſt Medium.Extraneum ad prædicatum,& Conſequens ad ſubiectum:verbi gratia, ad concludendum,Nullus homo eſt lapis,ſumendum eſt, Animal, vel, Riſibile, ſic, Nullum animal eſt lapis, Omnis homo eſt animal,ergo Nullus homo eſt lapis, vel,Nullus lapis eſt animal, Omnis homo eſt animal,ergo Nullus homo eſt lapis.

4. ad Vniuerſ. negat. in Cameſtres, vel Celantes, indirectè.

Qvarta. Ad concludendum eandem vniuerſalẽ negatiuam in Cameſtres, vel Celantes indirectè,ſumẽdum eſt Medium Extraneum ad ſubiectum, & Conſequens ad prædicatum,vt ad concludendum eandem,ſcilicet, Nullus homo eſt lapis,ſume,inanimatum,Omnis lapis eſt inanimatus,Nullus homo eſt inanimatus,ergo Nullus homo eſt lapis.

5. ad Partic. nega. in tertia Fig. aut in directè in prima.

Qvinta. Ad concludendum particularem negatiuam in tertia figura,aut indirectè in prima,ſumere oportet Medium Antecedens ad ſubiectum, & Extraneum ad prædicatum, vt ad concludendum, Animal non eſt inſenſibile, ſumatur, Homo, ſic, Nullus homo eſt inſenſibilis, Omnis homo eſt animal,ergo Animal non eſt inſenſibile.

6 ad Partic. affir. indirectè in Baraliptõ & Dabitis

Sexta. Ad inferendum particularem affirmatiuam indirectè in Baralipton,& Dabitis,ſumendum eſt Medium Antecedens ad ſubiectum, & Conſequens ad prædicatum, vt ad concludendum,Aliquod corpus eſt equus,ſumendum eſt,viuens, ſic, Omne viuens eſt corpus, Omnis equus eſt viuens, ergo Aliquod corpus eſt equus.

Medijs concludentur nouem tãtum modi. Tres modi Medij ad concludendũ inepti.

Nec poteſt aliud Medium ad concludendũ aptum ſumi: ſi enim altiùs hoc ſpeculati fuerimus,inueniemus Medium aliquod poſſe modis nouẽ ſe habere ad extremitates,ex quibus cõcluſio Syllogiſmi cõſtat,ex quibus modis, ſex apti,tres verò

rò inepti ad inferendum comperientur.

PRIMO enim poteſt eſſe Conſequens ad ſubiectū, & prædicatum, id eſt, ſuperius vtraque extremitate, & tunc eſt inutile, quia ſi ſuperius vtraque extremitate, debet de vtraq; affirmatiuè prędicari, & faciet Præmiſſas affirmatiuas in ſecunda Figura, quod eſſe non poteſt. Secundò, poteſt eſſe Extraneũ ad vtranque extremitatem; & ſic etiam eſt inutile, quia debet de vtraque negari, & ſic faceret ambas Præmiſſas negatiuas; quæ eſt combinatio inutilis. Tertiò, poteſt eſſe Extraneum ſubiecti, Antecedens prædicati: & ſic etiam eſt inutile, quia ſi eſt Antecedens prædicati, denotat Maiorem eſſe affirmatiuam, in qua Maior extremitas, quæ eſt prædicatum, prædicetur de Medio, & ſi eſt Extraneum Minoris extremitatis, vel negatur de illa, & tunc in prima Figura eſſet Minor negatiua, vel Minor extremitas negatur de ipſo: & tunc talis Syllogiſmus eſſet in tertia Figura Minori negatiua; quod eſſe non poteſt.

RELIQVI ſex modi, quibus Medium poteſt ſumi, ſunt vtiles, & tales ſunt ſupradicti: nam vel eſt Antecedens ad vtrunque, & tunc infert particularem affirmatiuam in tertia figura: vel eſt conſequens ad prędicatum, Antecedens ad ſubiectum, & ſic infert particularem affirmatiuam indirectè in Baralipton, & Dabitis: vel Conſequens ad ſubiectum, & Antecedens ad prædicatũ, & ſic infert vniuerſalem affirmatiuam in Barbara: vel Extraneum ſubiecti, Conſequens prædicati, & ſic infert vniuerſalem negatiuam in Cameſtres, & Celantes: vel eſt Extraneum prædicati, Conſequens ſubiecti, & ſic infert vniuerſalem negatiuã in Celarent, & Ceſare: vel eſt Extraneum prædicati, Antecedens ſubiecti, & ſic infert particularem negatiuam in tertia Figura, & indirectè in prima.

Sex modi Medÿ ad concl'udẽdum apti.

De dictionibus, quibus hæ Regulæ faciliùs retinentur: & de principiis, quibus combinationes inutiles examinantur.

CAP. XIII.

SI autem magis in prõptu iſtas Regulas habere cupis, ſunt quædam inuentę dictiones, quibus faciliùs cognoſcamus, quo Medio quæque propoſitio concludenda ſit. Dictiones autem hæ ſunt, *Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco, Gebali, Febas, Hedas, Hecas*: in quibus primùm eſt conſiderandum, tertiam vocalem vltimam denotare concluſionem quæ

Vocabula artu, de Medio. quo quæque propoſitio concludenda ſit.

debet inferri eo modo, quo ſuperiùs diximus de iſtis vocalibus: ac propterea in tribus vltimis dictionibus non ponitur tertia vocalis, quia per illas deſignatur Medium inutile ad in-
2. ferendum.

Est ſecundò conſiderandum, eſſe ſex conſonantes, B, C, D, F, G, H. Per, B, intelligitur Medium Conſequens ad prædicatum, per, C, Antecedens ad prædicatum, per, D, Extraneum ad prædicatum: reliquæ tres ſunt pro ſubiecto, F, Conſequens
3. ad ſubiectum, G, Antecedens, H, Extraneum.

Advertendvm tertiò, primam dictionem eſſe pro prima Regula, ſecundam pro ſecunda, & ſic conſequenter. Vnde Fecana, id eſt, ad concludendum vniuerſalem affirmatiuam in Barbara, ſumendum eſt Medium Conſequens ad ſubiectum, quod denotatur per, F, & Antecedens ad prædicatum, quod notatur per, C, ſic in aliis. Sunt autem duæ vocales mediæ notandæ. A, ſignificat prædicatum, E, ſubiectum.

Pons aſinorum. Hae autem dictiones in ſequenti figura habentur expreſſę: quam figuram ridiculo vocabulo antiqui Pōtem aſinorum vocabant, quia hominibus tardi ingenij iſta ars inueniendi Medium non eſſet intelligibilis: ſed iam profectò nullus eſt ita ingenij inops, cui non ſit facilis, & manifeſta.

***


ACETI VTILIS PRO PARTICVL. AFFIRM. IN 3.a ET P.a CÕVERSA.
EBALI VTILIS PRO BA-
EDACO VTILIS PRO PARTICVLARI NEGATIVA IN 2.a ET P.a INDIRECTE
ECAS IN VTILIS MINORI NEGATIVM IN PRIMA.
BARBARA. PRO
EDAS INVTILIS EX DVABVS NEGATIVIS.
EBARE VTILIS PRO CELANTES ET CAMESTRES.
ECANA VTILIS
RALIPTON, ET DABITIS
AFENES VTILIS PRO CELARENT, ET CESARE
EBAS INVTILIS EX DVABVS AFFIRMATIVIS IN 2.a FIGVRA

Ariſtotelis examinatio cōbinationũ inutilium Syllogiſmorum. SVNT autem duo principia, quibus Ariſtoteles vtitur ad combinationes inutiles Syllogiſmorum examinandas, quæ vocantur Dare terminos, in quibus Omni, & dare terminos, in quibus Nulli. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm propoſita combinatione aliqua inutili, dare tres terminos ſimiles eadẽ diſpoſitione diſpoſitos, in quibus vniuerſalis affirmatiua compoſita ex extremitatibus ſtet in veritate cum illis duabus propoſitionibus; & dare alios tres eadem diſpoſitione diſpoſitos, in quibus vniuerſalis negatiua compoſita ex extremitatibus ſit ſimul vera cum illis duabus propoſitionibus. Et per hoc probatur talis duarum propoſitionum diſpoſitio eſſe inutilis, quia qua parte eſt vera negatiua vniuerſalis, eſt inutilis diſpoſitio ad inferendam affirmatiuam; nã tunc daretur Antecedens verum, & Conſequens falſum, quod repugnat bonæ Conſequentiæ: qua parte eſt vera affirmatiua vniuerſalis, eſt inutilis eadem diſpoſitio ad inferendum negatiuam eadem cauſa, ac ideò non eſt formalis conſequentia: formalis enim conſequentia in terminis, & propoſitionibus ſimilibus ſemper ita ſe habet, vt Antecedens verum, & Conſequens falſum eſſe nequeat. Dare terminos affirmatiuè, eſt dare terminos, in quibus Omni: Dare negatiuè, eſt dare in quibus Nulli. verbi gratia, volo probare hanc diſpoſitionem eſſe inutilẽ, Animal eſt currens, Homo eſt animal, do tres terminos, in quibus vniuerſalis affirmatiua cõſtans ex extremitatibus propoſitionum compoſitarum ex illis, ſtet in veritate cũ eiſdem propoſitionibus eodẽ modo diſpoſitis, Color, Accidens, Albedo: ſic: Color eſt accidens, Albedo eſt color, Omnis albedo eſt accidens. Talis ergo diſpoſitio non poteſt inferre ſemper negatiuam, quia modò affirmatiua ex illis extremitatibus compoſitis eſt vera. Do alios tres, in quibus Nulli: Animal, Currens, Homo, Animal currit, Homo eſt animal. Cùm his poteſt eſſe ꝙ nullus homo currat; ergo non eſt illa diſpoſitio apta formaliter ad inferendum affirmatiuam, & ſic oratio eſt inutilis: ita poſſunt dari termini in omni inutili combinatione.

Formalis cōſequentia.

Dare terminos in quibus Omni, & in quibus Nulli.

Regula.

POTEST autem in iſtis terminis inueniendis hæc Regula obſeruari, vt accipiamus vel duos terminos diuerſos, & qui adinuicem negentur cum aliquo ſuperiori ad vtrunque, vel duos terminos, quorum vnus ſit Conſequens ad alterum cum aliquo Extraneo, vel etiam cum ſuperiore, vel tres diſparatos, & per hos poteris examinare quancunque combinationem.

De

De Syllogiſmo ex obliquis, & de Expoſitorio.

CAP. XIIII.

Syllogiſmi ex terminis obliquis, tam Medij, quam extremitatum.

Obliquus varius.

ALIQVANDO Syllogiſmi ex terminis obliquis fiunt, non ſolùm ex parte extremitatũ, vt, Omnis creatura eſt Dei, Angelus eſt creatura, ergo Angelus eſt Dei; Omnis Iuſtitia eſt perfectio, In Deo eſt Iuſtitia, ergo In Deo eſt perfectio; ſed etiam ex parte Medij: aliquando enim Medius terminus eſt obliquus vel in Maiori, vel in Minori, vel in vtraque ſimul. Etiam obliquus varius eſſe poteſt iuxta caſuum multitudinem: verbi gratia, Cuique animali ineſt ſenſus, Homo eſt animal, ergo Homini ineſt ſenſus; In omni loco eſt Deus, Terra eſt locus, ergo In terra eſt Deus.

1. Not in Syllogiſmo ex obliquis

2. Not.

3. Not.

SVNT in iſtis iſta obſeruanda, Primùm, vt extremitas, quæ fuerit obliqua in Præmiſſis, ita maneat in concluſione, vt apparet in Syllogiſmis poſitis. Secũdò, quãdo Medium eſt obliquum in vna Præmiſſa, tunc illa extremitas, quæ cum Medio obliquo ponitur, debet in cõcluſione inferri in recto, & altera extremitas in obliquo: verbi gratia, Omnis entis eſt ſcientia, Corpus eſt ens, ergo Corporum eſt ſcientia. Quãdo verò in vtraque eſt obliquum Medium, extremitas inferetur vtraque in recto, vt, Nulla pax vera ineſt impio, Otium ineſt impio, ergo Otium non eſt pax. Tertiò, quando in Præmiſſa negatiua fuerit obliquus, in affirmatiua rectus, ſequitur concluſio de obliquo, Nulli animali irrationali ineſt ratio, Equus eſt animal irrationale, ergo Equo non ineſt ratio. Quãdo autem fuerit affirmatiua de obliquo, & negatiua recta, nõ ita ſequitur: non enim valet, Homo non eſt Angelus, Omni homini ineſt intellectus, ergo Angelo non ineſt intellectus.

Syllogiſmus Expoſitorius, ex medio ſingulari.

PRAETER hos Syllogiſmos aliquando euenit, vt Medium in quibuſdam ſit terminus ſingularis: & hic Syllogiſmus Expoſitorius dicitur, qui maximè tertiæ Figuræ familaris eſt, eò quòd in ea Medium ſubiiciatur, proprium autem ſit ſingularium terminorum ſubiici. Petrus eſt animal, & Petrus eſt currens, ergo Aliquod currens eſt animal.

Ex Medio vniuerſali.

FIVNT etiam Syllogiſmi Expoſitorij ex Medio vniuerſali, putà, cùm volumus alicuius generis, vel ſuperioris inferius aliquod demonſtrare; vt ſi fieret Syllogiſmus in Baroco, Omnis homo eſt animal, Aliquod album non eſt animal, ergo Aliquod album non eſt homo, ſit Expoſitorius ſi ſumamus aliquod inferius ſub Minori, ſcilicet, aliquod albũ, quod non ſit

animal, nempe niuem, & fiat Syllogiſmus, in Felapton, Nulla nix eſt animal, Omnis nix eſt alba, ergo Aliquod album non eſt animal.

Expoſitorius quare dicatur. ISTE Syllogiſmus ab Ariſtotele vocatur, Expoſitorius, quia per ſumptionem inferiorum probat vniuerſalius illud Minoris præcedentis, id eſt, Aliquod album non eſt animal: & talis etiam in aliis Figuris, tertia optimè fieri poteſt.

De ſex poteſtatibus, & tribus defectibus Syllogiſmorum.

CAP. XV.

Syllogiſmorum ſex poteſtates. SYLLOGISMORVM poteſtates ſex ſunt, Prima eſt, plura concludendi. Syllogiſmus enim, qui infert vniuerſalem, poteſt inferre eius vniuerſalis ſubalternatam, & inferens con-
1. cluſionem, poteſt inferre eius conuertentem, & id quod ſequitur ex tali concluſione.

2. SECVNDA eſt, verũ ex falſis ſyllogizandi. Eadẽ enim forma Syllogiſmi aliquando verum ex vero deducimus, vt, Omne animal eſt ſenſibile, Omnis homo eſt animal, ergo Omnis homo eſt ſenſibilis: aliquando verum ex falſo, vt, Omnis leo eſt rationalis, Omnis homo eſt leo, ergo Omnis homo eſt rationalis: aliquando etiam falſum ex falſo concluditur.

Syllogiſmus Circularis.

3. TERTIA eſt, circulariter ſyllogizandi. Eſt autem Syllogiſmus Circularis, ille qui ex alterius concluſione cũ vnius Præmiſſæ conuertente infert alteram Præmiſſam. Hoc autem fit in terminis cõuertibilibus, vt, Omne corpus eſt compoſitum ex materia & forma, Omne ens mobile eſt corpus, ergo Omne ens mobile eſt compoſitum ex materia & forma: fit Circularis conuerſa Maiori, Omne compoſitum ex materia & forma eſt corpus, Omne ens mobile eſt compoſitum ex materia & forma, ergo Omne ens mobile eſt corpus.

Syllogiſmus Conuerſiuus.

4. QVARTA eſt, cõuerſiuè Syllogizandi Eſt autẽ Syllogiſmus Conuerſiuus: qui ex contradictoria, vel contraria prioris Syllogiſmi cũ altera Præmiſſarum tollit alteram, id eſt, eius contrariã, vel contradictoriã infert: quo maximè vtimur, quando alterius rationem euertere volumus, vt, Omne album currit, Omnis homo eſt albus, ergo Omnis homo currit: Fit Cõuerſiuus ad tollendam maiorem, Nullus homo currit, Omnis homo eſt albus, ergo Aliquod album non currit. Poteſt etiam Maior eadem particularis fieri, & erit in Bocardo.

Syllogiſmus per Impoſſibile.

5. QVINTA eſt, Syllogizandi per impoſſibile. Eſt autem hic Syllogiſmus, qui ex cõtradictorio alicuius propoſitionis veræ negatæ cũ altera propoſitione clarè vera, infert manifeſtè propoſitionem falſam, vt fiat regreſſus ad negandum oppoſitum

ſitum propoſitionis negatiuæ. Verbi gratia, negat quis, Spongia eſt ſenſibilis, argumentabor ſic, Omne animal eſt ſenſibile, Nulla ſpongia eſt ſenſibilis, ergo Nulla ſpongia eſt animal. Iſta concluſio eſt falſa, ergo præmiſſa aliqua falſa: non Maior, quia eſt manifeſtè vera: ergo Minor: oppoſita ergo negata priùs erat vera. Hîc autem oportet ſumere contradictorium: nam in contrariis ex falſitate vnius non ſequitur veritas alterius, cùm vtrumque falſum eſſe poſſit.

Sexta poteſtas eſt, ex oppoſitis ſyllogizandi. Eſt autem iſte Syllogiſmus, quo ex duabus contrariis, vel contradictoriis infertur concluſio, qua negatur idem de ſe ipſo. Vtimur hoc contra protervos, contraria, vel contradictoria admittentes. V.g. Nulla ſubſtantia eſt animal, Omnis ſubſtantia eſt animal, ergo Animal non eſt animal. 6 *Syllogiſmus ex oppoſitis.*

Svnt autem tres in Syllogiſmis defectus. Primus eſt, Petere principium: qui tunc accidit, quando idem per idem, vel aliquid per æquè, aut magis ignotum probatur, vt, Omnis homo eſt homo, & Omnis homo eſt homo, ergo Omnis homo eſt homo. *Tres defectus Syllogiſmorum.* 1

Secvndvs eſt, Non propter hoc accidere falſum: qui tūc euenit, quando ſyllogizando falſitas concluſionis illatæ imputatur alicui propoſitioni in Antecedenti, quæ verè nō erat cauſa falſitatis illius. Hoc autem maximè fit in Syllogiſmis, in quibus eſt aliqua Præmiſſa ſuperflua. Verbi gratia, Homo eſt animal, & Omne corp⁹ eſt viuēs. Omnis lapis eſt corpus, ergo Omnis lapis eſt viuēs. Concluſio eſt falſa, ergo illa pars Antecedentis eſt falſa, ſcilicet, Homo eſt animal. Hîc falſitas concluſionis imputatur propoſitioni, quæ non eſt cauſa: nam ea remota adhuc ſequitur concluſio falſa. 2

Tertivs dicitur, Fallacia contrariæ opinionis. Hic autē eſt, quando aſſentimur duabus contrariis, vel cōtradictoriis, aut in vniuerſali, aut in propria forma expreſſis, vt qui admitteret, Omne animal eſt corpus, & Nigrum nullū eſt corpus, in cōmuni admittit has, Omnis coruus eſt corpus, Nullus coruus eſt corpus, quæ formaliter ſunt contrariæ. Hoc defectu admonemur, ne ſimus præcipites in concedendo, ſed priùs attētè conſideremus, & omnia perpendamus, ne poſteà in contraria, vel contradictoria dilabamur. 3

De Syllogiſmo ex Modalibus.

CAP. XVI.

Absolvtis iā Syllogiſmis, qui ex propoſitionibus ſimplicibus, ac Modo vacantibus conficiuntur, non inutile

mihi futurum viſum eſt, ſi ea, quæ Ariſtoteles fuſiſſimè de Syllogiſmis Modalibus tractat, in breues, & paucas redegero Concluſiones, vt has iuuenes priùs facilè edocti, ſe ad grauiores in eiſdem diſputationes meliùs & aptiùs accingãt: ac propterea Concluſiones ſimplices ex obſcuro & perplexo Ariſtotelis contextu erutas proponam, difficultates, quę circa ipſas ſunt, in proprium locum reſeruando.

Quintuplex propoſitionũ ſecundũ Neceſſarium & contingẽs ordinatio. QVINTVPLICITER igitur poſſunt ordinari iſtæ propoſitiones ſecundũ Modos duos, Neceſſariò & Contingenter, de his enim præcipuus eſt ſermo: nam alij præpoſita, aut poſtpoſita vna negatione, vel altera, æquiualent Neceſſariò, vt conſtat ex ſuperioribus. Aut enim vtraque eſt de Neceſſariò: aut altera de Neceſſariò, altera de Ineſſe, quæ ſine Modo eſt: aut vtraque de Contingenti: aut vna de Contingenti, & altera de Ineſſe: aut tãdẽ vna de Cõtingenti, altera de Neceſſariò. *Contingẽs ſpecialiter* Hîc autẽ ſumimus Cõtingens pro eo, quod poteſt eſſe, & nõ eſſe, quod diciturCõtingẽs ſpecialiter ſumptũ, cuius naturã explicuimus libro tertio: & iuuabit lectorem, illa eadem repetere.

1. *Cõcluſio.* SIT igitur prima Cõcluſio. *In omni figura, & Modo cuiuſque Figuræ ex vtraque Præmiſſa de Neceſſario, concluſio ſequitur de Neceſſario.* Valet enim, Omne animal neceſſariò eſt ſenſibile, Omnis homo neceſſariò eſt animal, ergo Omnis homo neceſſariò eſt ſenſibilis. Similiter, Nullus lapis neceſſariò eſt animal, Omnis gemma neceſſariò eſt lapis, ergo Nulla gemma neceſſariò eſt animal. Idem in aliis Modis, & figuris oportet exiſtimare.

2 SECVNDA Concluſio. *In prima Figura, Maiori exiſtente de Neceſſario & Minori de Ineſſe, ſequitur concluſio de Neceſſario.* In aliis verò figuris ſequitur concluſio Neceſſaria, ſi illa ſit Neceſſaria quæ eſt Maior Syllogiſmi, reductione facta ad primam Figuram Vnde in ſecunda figura exiſtente negatiua de Neceſſariò affirmatiua de Ineſſe, ſequitur concluſio de Neceſſariò, quia negatiua fit Maior in reductione ad primam. In Baroco hoc non valet, quia non reducitur in terminis, nec in Bocardo: neutra enim exiſtenti de Neceſſariò ſiue Maiori, ſiue Minori, & altera de Ineſſe ſequitur de Neceſſariò In tertia verò figura ſi fuerit vniuerſalis negatiua de Neceſſariò, ſequitur concluſio Neceſſaria, vt in Felapton, & Feriſon: quando vtraque affirmatiua, ſi vniuerſalis, vt in Darapti, ſiue ſit Maior, ſiue Minor, ſequitur Neceſſaria: ſi altera particularis, vt in Diſamis, & Datiſi, ſi vniuerſalis fuerit Neceſſaria, ſequitur concluſio. Aliis Modis non contingit in his Figuris.

TERTIA

Tertia Concluſio. *In prima Figura, vtraque Contingenti in quatuor Modis ſequitur concluſio Contingens, & in eiſdem Modis etiam ſequitur, quando vtraque eſt negatiua vel Minor ſola, ſed imperfectè.* Dico imperfectè, quia opus eſt priùs conuertere Minorem negatiuam in affirmatiuam, vel vtramque negatiuam in affirmatiuam, quod licet in Contingenti, vt ſuperiùs diximus. Vnde ſequitur, Contingit nullum album currere, Contingit nullum hominem eſſe album, ergo Contingit omnem hominem currere: ſed imperfectè ſequitur, quia debemus mutare vtranque negatiuam in affirmatiuam, vt clarè, & manifeſtè ſequatur. Similiter in aliis Modis, Minori vel vtraque exiſtenti negatiua. 3

Qvarta Concluſio. *In prima Figura, in eiſdem modis quatuor ſeruata eadem qualitate, & quantitate propoſitionum, Maiori exiſtenti de Contingenti, & Minori de Ineſſe, ſequitur concluſio Contingentis ſpecialiter dicti.* At contrà Maiori exiſtente de Ineſſe, & Minori de Contingenti, tam affirmatiua, quàm negatiua, ſequitur concluſio Contingentis non ſpecialiter dicti, ſed communiter, ſcilicet pro Poſſibili, & Ineſſe ſumpti, vt facile erit exemplis oſtendere. 4

Qvinta Concluſio. *In eadem prima Figura idem iudicium eſt de Ineſſe neceſſario, & de Ineſſe ſolo:* vt ſi Maior Contingens, & Minor Neceſſaria, ſequatur concluſio Contingentis ſpecialiter dicti, ſcilicet pro eo quod poteſt eſſe, & poteſt non eſſe. At ſi Maior de Neceſſariò & Minor Contingens, ſiue affirmatiua ſiue negatiua, concluſio erit Contingentis generalis. Quòd ſi Neceſſaria fuerit Maior, & negatiua, poteſt inferri concluſio de Ineſſe: vt, Neceſſariò nullum intelligẽs eſt equus, Contingenter omnis homo eſt intelligens, ergo Nullus homo eſt equus. 5

Sexta Concluſio pro ſecunda figura. *Ex vtraque contingenti in ſecunda figura, vtcunque diſponantur, nihil ſequitur, nec quando negatiua eſt Contingens, & affirmatiua Neceſſaria vel de Ineſſe.* At quando affirmatiua eſt Contingens, & negatiua Neceſſaria, vel de Ineſſe, ſequitur concluſio Contingentis generaliter dicti, vt, Neceſſariò nullus equus eſt homo, Contingenter omne currens eſt homo, ergo Contingenter nullum currens eſt equus. 6

Septima Concluſio pro tertia figura. *In tertia figura ex vtraque de Contingenti ſequitur concluſio Contingens, & ex vna de Contingenti, & altera de Neceſſariò, vel de Ineſſe, ſi contingens fuerit illa, quæ eſt Maior in reductione in Figura prima erit conclu-* 7

 ſio

ſio Contingentis ſpecialiter dicti, ſi verò fuerit in reductione Minori erit concluſio Contingentis generaliter dicti.

De Syllogiſmo Hypothetico.

CAP. XVII.

Syllogiſmus Hypotheticus. Tres eius ſpecies. Conditionalis. Duo Modi Conditionalis.

POSTQVAM de Syllogiſmo ſimplici hucuſque latiùs diſſeruimus, ſupereſt vt de Syllogiſmo Hypothetico introductionis modo aliquid attingamus. Eſt igitur Syllogiſmus Hypotheticus, qui ex altera aut vtraq; Præmiſſa conſtat Hypothetica. Huius tres ſunt præcipuæ ſpecies ſecundum Hypotheticas propoſitiones, ex quibus cõficitur. Eſt enim Conditionalis, Copulatiuus, Disiunctiuus.

CONDITIONALIS, eſt qui ex Præmiſſa conſtat conditionali, vt, Si ſol lucet, dies eſt, Sed ſol lucet, Ergo dies eſt.

1 FIVNT autem in hiſce duo Modi Syllogiſmorum Quidam procedunt ex Maiori conditionali, & ipſo Antecedenti ſolo pro Minori ad propoſitionem eiuſdem Conſequentis in concluſione, vt, Si eſt homo, eſt animal, Sed eſt homo, Ergo eſt animal. Et hæc prima figura horum Syllogiſmorũ eſſe poteſt, ſub qua quatuor ſunt Modi: nam Conditionalis poteſt habere vtranque partem affirmatiuam, & tunc eſt primus Modus, vt, Si ſol lucet, dies eſt, Sed ſol lucet, Ergo dies eſt: aut vtramque negatiuam, & tunc eſt ſecundus Modus, vt, Si non eſt animal, non eſt homo, Sed nõ eſt animal, Ergo nõ eſt homo: aut priorem affirmatiuam & poſteriorem negatiuam, & tunc eſt tertius Modus, vt, Si æſtas eſt, frigus non eſt, Sed æſtas eſt, Ergo frigus non eſt: aut priorem negatiuam, poſteriorem affirmatiuam, & tunc eſt quartus Modus, vt, Si non eſt ſanum, eſt ægrum, Sed non eſt ſanum, Ergo eſt ægrum.

2 QVIDAM alij Syllogiſmi ſunt, in quibus à tota conditionali Maiori, & oppoſito Conſequentis pro Minori, infertur oppoſitum Antecedentis pro concluſione. Et hæc poſterior figura horum dici poteſt, ſub qua alij ſunt quatuor Modi ſimiles præcedentibus: aut enim eſt tota affirmatiua, vt, Si eſt homo, eſt animal, Sed nõ eſt animal, Ergo non eſt homo: aut tota negatiua, vt, Si ſol non lucet, dies non eſt, Sed dies eſt, Ergo ſol lucet: aut prior affirmatiua & poſterior negatiua, vel contrà, vt ſuperiùs diximus.

Syllogiſmus Copulatiuus. Tres modi Copulatiui.

EST alius Syllogiſmus Hypotheticus, qui dicitur Copulatiuus, quia ex copulatiua propoſitione procedit.

SVNT autẽ tres Modi horum, præſertim in Copulatiuis negatiuis, id eſt, in quibus negatio ipſam partium cõnexionem negat.

negat. Primus Modus, quando copulatiuę partes non habent 1
aliam negationem, quàm eam, quæ totam ipſam negat: tunc enim valet à tota copulatiua pro Maiori cum vna parte affirmatiua pro Minori ad alterius negationem, vt, Non homo currit ſimul & ſedet, ſed currit, Ergo non ſedet, vel etiam, ſedet, Ergo non currit: à negatiua autem non valet ad affirmatiuam, non enim dicetur, Non currit, Ergo ſedet.

SECVNDVS Modus eſt, quando vtraque pars habet aliam 2
negationem præter negationem totius: tunc enim valet à tota copulatiua, & vna negatione ad alterius affirmationem, vt, Non homo non ſtudet ſimul & non legit, Sed nõ ſtudet, Ergo legit, vel etiam, Non legit, Ergo ſtudet. Contrà non valet.

TERTIVS Modus, quando vna pars habet negationem, al- 3
tera non, tunc enim valet à tota copulatiuæ, & parte affirmata ad partem negatam, vt, Nõ homo currit, & non mouetur, Sed currit, Ergo mouetur. Hi ſunt Modi in copulatiuis negatiuis, nam in affirmatiuis non fiunt Syllogiſmi, ſed conſequentiæ quædam: omnis enim affirmatiua copulatiua infert quãlibet ſui partem, ſiue ambæ partes ſint affirmatiuæ, ſiue negatiuæ, ſiue vna affirmatiua, altera negatiua, vt, Homo currit, & leo eſt fortis, Ergo homo currit. Et ita in aliis omnibus poteris ſingulas partes per ſe inferre.

Syllogiſmus Diſiũctiuus.

EST & Syllogiſmus Diſiunctiuus, qui ex propoſitione cõſtat diſiunctiua. In hoc autem procedimus ſemper à tota diſiunctiua cum vna parte ad oppoſitam alterius, vel cum oppoſito vnius partis, ad poſitionẽ alterius partis. V.g. Aut eſt dies, aut eſt nox, Eſt dies, Ergo non eſt nox, vel aliter, Aut eſt dies, aut eſt nox, Non eſt dies, Ergo eſt nox.

In quibus fiat.

HIC autem argumentandi modus fit in diſiunctiuis affirmatiuis, ſiue vtraque pars ſit affirmata, ſiue vtraque negata, ſiue prior affirmata, poſterior negata, vel contrà, prior negata, poſterior affirmata. Semper tamẽ debemus procedere vel ab vna parte ad oppoſitã alterius, vel ab oppoſita vnius partis ad alteram partem. Vnde valet quando vtraque pars eſt negatiua, Aut non eſt ſanum, aut non eſt ægrum, Sed eſt ſanum, Ergo non eſt ægrum, vel aliter, Non eſt ſanum, Ergo eſt ægrum. Idem fit quando vtraque eſt affirmatiua, & quando altera etiam eſt affirmatiua.

Duæ figuræ diſiunctiui.

POSSVNT autem duæ figuræ harum diſtingui, ſicut in Cõditionalibus. Altera, in qua pro Minori ponimus priorem partem diſiunctiuæ, aut oppoſitam eius: pro conſequenti verò poſteriorem, aut ipſius oppoſitam. Altera cõtrà, in qua pro

Maiori

Maiori poſteriorem partem, aut eius oppoſitam ponimus, pro concluſione verò priorem, aut eius oppoſitam. Qui omnes Syllogiſmi in eo fundātur, quod ſuperiùs diximus, diſiunctiuam eſſe veram, cuius vna ſola pars eſt vera, reliquæ falſæ. Ex his, multi colliguntur Diſiunctiuorum Syllogiſmorum Modi, quos per hanc artem & regulam facile erit diligenti lectori, & admodum vtile inuenire, & ſingulos per ſe diſtribuere. Qui plura de iſtis Syllogiſmis videre cupit, Boët. legat particulariter de his tractantem.

De reliquis ſpeciebus Argumentationis.

CAP. XVIII.

SVPERES T vt breuiter, quid aliç Argumentationum ſpecies ſint, explicemus.

Enthymema. ENTHYMEMA, vt Boët. aſſerit, eſt oratio, in qua non omnibus Præmiſſis propoſitis feſtinata infertur cōcluſio, vt, Homo eſt animal, ergo Homo eſt corpus. Dicitur etiam truncatus Syllogiſmus, quia ei deeſt aliqua Præmiſſa, vnde ad Syllogiſmum reduci poteſt per additionem illius præmiſſæ, quæ deeſt. Reducetur enim illud Enthymema ſic ad Syllogiſmum, Omne animal eſt corpus, Omnis homo eſt animal, ergo Omnis homo eſt corpus.

Inductio. INDVCTIO, quam alij Enumerationem vocant, eſt ab inferioribus ad ſuperius progreſſio, vt, Iſte ignis calefacit, & Iſte ignis calefacit, & ſic de ſingulis, ergo, Omnis ignis calefacit. Fit etiam aliquando Inductio non à ſingularibus, ſed à minùs communibus, vt, Homo ſentit, Leo ſentit, & reliqua animalia, ergo Omne animal ſentit. Aliquando procedimus negatiuè, aliquando affirmatiuè, de quibus ſuperiùs diximus in libro tertio: hîc autem attendendum eſt, vt omnia inferiora quoad fieri poſſit enumerentur.

Exēplum. EXEMPLVM, eſt ab vno ſingulari ad alterū propter aliquam ſimilitudinem illatio, vt, Deus pepercit Niniuitis pœnitentibus, Ergo & nobis parcet ſi pœnitentiā agamus. Poteſt exemplum aliquando à duobus, vel tribus ſingularibus ſumi: ſemper tamen obſeruanda eſt aliqua ſimilitudo inter ea in cuius virtute vnum ſingulare ex altero colligatur.

Vſus. EXEMPLO, & Enthymemate frequentiùs Rhetores ſicut Syllogiſmo, & Inductione Dialectici vtuntur.

Epilogus dictorū de Argumentatione. HAEC ſunt quæ de Argumentationibus, præſertim de Syllogiſmis Dialecticæ ſtudioſos prædiſcere oportet ante Ariſt. doctrinam poſteà fuſiùs, copioſiùs, ac exactiùs iſta percepturos.

INTRODVCTIONIS IN DIALECTICAM ARISTOTELIS,

LIBER QVINTVS.

De Locis,& fallaciis Syllogiſmorum.

De duplici Syllogiſmo ſecundùm materiam.

CAPVT I.

SYLLOGISMVS & forma,& materia tanquam duplici parte intrinſeca perficitur. *Syllogiſmi partes intrinſecæ.* Forma,diſpoſitio, & ordinatio duarum propoſitionum inter ſe ſecundum debitam quantitatem, & *Forma.* qualitatem, & trium terminorum diſpoſitionem eſt, de qua abundè in libro quarto locuti ſumus. Materia proxima propoſitiones ſunt, ex quibus conſtructus eſt. *Materia proxima.*

HAE autem in duplici differentia ſe habent,quędam enim ſunt Neceſſariæ, quæ ſemper veræ ſunt, nec eas aliquando falſas eſſe accidit:quales ſunt illæ in quibus definitio,vel pars aliqua definitionis, genus nempe, aut differentia de definito prædicatur:vt,Homo eſt animal rationale,Homo eſt animal, Homo eſt rationalis. *Propoſitiones duûm generum. Neceſſaria.* Similiter illæ, in quibus aliqua inſeparabilis proprietas de ſuo ſubiecto prædicatur, vt, Homo eſt riſibilis,Equus eſt hinnibilis,Album eſt diſgregatiuum viſus, Ignis eſt calefactiuus. Similiter & illæ,in quibus affectus de ſuis propriis cauſis prædicamus,vt,Animal rationale eſt riſibile,Frigiditas congregat,Calor ſeparat. Has omnes propoſitiones Neceſſarias vocamus.

QVAEDAM aliæ ſunt,quæ Probabiles dicuntur,quaſi probatæ & receptæ vel omnium conſenſu, vel plurimorum, vel ſapientum,& horum,vel omnium, vel plurimorum, vel maximè probatorum. *Probabiles.* Sunt enim quędam propoſitiones quarum

non

non eſt ea euidentia, quin poſſit intellectus eis diſſentire, tamen receptæ ſunt iam ab omnibus tanquam veræ, vt, Figulus figulum odit, Omnis mater diligit filium ſuum, Amicis benefaciendum. Alię à plurimis, vt, Diuitię ſunt parandæ, Honores ſunt expetendi. Aliæ ab omnibus ſapientibus, vt, Ex nihilo nihil naturaliter fit, Sol eſt maior terra. Aliæ à plurimis ſapientibus, vt, Non ſunt infiniti mundi, Non eſt corpus indiuiſibile, Plura ſunt rerum principia: hæ enim olim receptæ fuerunt à plurimis Philoſophis, quamuis non omnibus. Aliæ à paucis, ſed celeberrimis, vt, Ideæ non ſunt, Eſt quinta ſubſtantia præter elementa, Viſus fit per intus ſuſceptionem: hæ enim Peripateticis probantur. Omnes hę propoſitiones Probabiles ſunt, non quia veræ, aut falſæ ſint, ſed quia pro veris recipiantur, & nulla videtur ratio euidens in contrarium. Sunt etiam & aliæ Probabiles, quæ ex iſtis aliqua via deducuntur, quas aliqui Probabiles mediatas vocant.

Quare probabiles. Probabiles mediatæ.

Syllogiſmi, ratione materiæ duæ ſpecies.

Ex his igitur vtriſque propoſitionibus fiunt Syllogiſmi: quemadmodum enim eadem forma circuli, aliquando in ęre, aliquando in auro, vel in alia materia fit, ita & eadem forma, & figura Syllogiſmi aliquando propoſitionibus Neceſſariis applicatur, aliquando verò Probabilibus: vt, ſi ſumas propoſitiones has neceſſarias, Omne animal rationale eſt riſibile, Omnis homo eſt animal rationale, ergo Omnis homo eſt riſibilis, Syllogiſmus conficitur in Barbara. At ſi ſumas has probabiles, Omne quod eſt bonum expetendum eſt, Omnes diuitiæ bonæ ſunt, ergo Omnes diuitiæ ſunt expetendæ, eadem fit in Barbara, forma. Si igitur materiam ipſam Syllogiſmi conſideramus, duas Syllogiſmorum ſpecies conſtituemus: & illorum, qui ex Neceſſariis conflantur, & hi Demonſtratiui, & eorum qui ex Probabilibus, & hi Dialectici ſeu Topici dici ſolent.

De Demonſtratione, & Dialectico Syllogiſmo.

CAP. II.

Demonſtratio.

DEMONSTRATIO, Syllogiſmus eſt, ex Neceſſariis propoſitionibus propriam concluſionis cauſam exprimentibus compoſitus. Duo enim neceſſaria ſunt ad hunc Syllogiſmum, qui Demonſtratio dicitur. Alterum, vt ex Neceſſariis conflectur: ille enim, qui ex Probabilibus, aut aliis propo-

ſitionibus, quæ non Neceſſariæ ſunt, componitur, Demonſtratio non eſt. Alterum, vt Præmiſſæ cauſa propria concluſionis ſint, id eſt, in Præmiſſis contineatur cauſa vera, propter quam concluſionis prædicatum ſubiecto ineſt. Propter hæc duo igitur, iſta Demonſtratio eſt, Omne compoſitum ex contrariis corruptibile eſt, Omne mixtum corpus eſt ex contrariis compoſitum, ergo Omne mixtum corpus corruptibile eſt: omnes enim hæ propoſitiones Neceſſariæ ſunt, & cauſa, quare corpus mixtum corruptibile eſt, in Præmiſſis exprimitur, nempe quia ex contrariis compoſitum eſt. Quo fit, vt in Demonſtratione hi termini tres concurrant, Maior extremitas, & hæc eſt aliqua proprietas de ſubiecto monſtranda; ipſum ſubiectum, Minor extremitas: & cauſa proprietatis in ſubiecto, ipſum Medium. Fit aliquando Demonſtratio, cùm Medium eſt aliquis effectus, ſed hæc non ſimpliciter Demonſtratio dicitur. Hic Syllogiſmus, qui Demonſtratio ſimpliciter dicitur, eſt adeò efficax, & validus, vt non quancunque cognitionem concluſionis demonſtratæ efficiat, ſed claram, certam, & infallibilem, quæ dicitur Scientia: ac propterea Demonſtratio eſt Syllogiſmus faciens ſcire; & Scire propriè, eſt rem neceſſariam per propriam cauſam cognoſcere.

Tres termini Demonſtrationis.

Scientia. Scire.

Syllogismvs Dialecticus, eſt Syllogiſmus ex Probabilibus confectus. Non oportet autem vt ſemper ex vtraque Præmiſſa probabili procedat: aliquãdo enim ex vtraque probabili fit, vt, Omne bonum eſt amplectendum, Labor eſt bonus, ergo eſt amplectendus. Aliquando fit ex vna Probabili, ex altera Neceſſaria, vt, Omnis virtus eſt anteponenda diuitiis, Iuſtitia eſt virtus, ergo Iuſtitia eſt anteponenda diuitiis. Maior Probabilis quidem, Minor tamẽ Neceſſaria. ſicut, Homo eſt animal. Hic Syllogiſmus non eſt adeò efficax, ſicut prior: non enim ſcientiam cõcluſionis facit, ſed Opinionem, id eſt, cognitionem quandam non admodum claram, certam, & infallibilem, ſecundùm quam aliquando decipi poſſumus: quod in opinione tenetur, errori expoſitum eſt.

Syllogiſmus Dialecticus, ſeu Topicus.

Opinio.

Tali Syllogiſmo vtimur circa quamlibet quæſtionẽ dubiam, ſeu problema, probabiliter partem vtranque probando. Eſt enim Problema, quæſtio, ſeu interrogatio contradictionis alicuius vtranque partem amplectens: vt, an diuitiæ ſint bonæ, nécne? an ſcientia præſtet ſanitati, nécne? an honor ſit anteponendus famæ, nécne? Horum vtranque partem probabiliter Dialectico Syllogiſmo diſputamus. Quædam

Vſus Syllog. Dialectici.

Problema.

enim

Logica pars, Topica, ſeu Dialectica, quæ. enim Logicæ pars, quæ Topica dicitur, ab aliis autem Dialectica, methodum, & viam docet probabiliter circa quamlibet Problematis partem diſputandi: in qua quædam communes Regulæ, & notæ continentur, ex quibus argumentorum copia ſuppeditatur, quæ in præſenti breuiter & clarè tradenda ſuſcipimus.

Quid Locus, & Quotuplex in generali.

CAP. III.

Locus. LOcvs, eſt argumenti ſedes, analogia ſeu ſimilitudine ſumpta à loco corporum: vt enim locus cōtinet corpus, ita id, à quo argumenta extrahuntur tanquam in eo contenta, Locus dicitur. Ideò aliter etiam definiri ſolet, nempe, Locus eſt id, à quo ad propoſitam quæſtionem conueniens trahitur argumentum. Præterea, quemadmodum res occultæ, & abſconditæ, maximè loci in quo ſunt oſtenſione inueniuntur, ita argumenta his, quos locos vocant, cognitis apparent, ac propterea Loci dicuntur. Vnde definiri etiam ſolet, Locus eſt nota communis, cuius admonitu, quid in vnaquaque re probabile ſit, inueniri poteſt: ac ſi clariùs diceretur, Eſt ſignum quoddam commune argumenta oſtendens, quibus probabiliter circa res diſputare poſſimus. Tandem quemadmodum in locis variis varia procreantur, & pro locorum diuerſitate diuerſa producuntur, ita non omnia argumenta, quæ circa res fiunt, ab eodem fonte procedunt, ſed à diuerſis: ac ideò hæc, Loca vocantur.

Locus duplex. Maxima. Locvs duplex eſt, alter, qui dicitur Maxima, alter, Differentia Maximæ. Locus Maximæ, eſt propoſitio vniuerſalis per ſe probabilis, cuius veritati multæ argumentationes Dialecticæ innituntur. Verbi gratia, fiant iſtæ argumentationes, Planta eſt viuens, ergo Planta eſt corpus animatū: Iuſtitia eſt virtus, ergo Iuſtitia eſt habitus bonus: Concha eſt animal, Ergo eſt viuens ſenſibile: omnes hæ, & ſimiles, bonæ ſunt. Quòd ſi petas, cui innituntur omnes hæ? reſpondere oportet, has omnes huic inniti principio, De quocunque prædicatur definitio, de eodem & definitum poteſt prædicari. Talis propoſitio, Maxima dicitur. Aduerte igitur partes definitionis. Dicitur, *propoſitio vniuerſalis*: quia Maxima non ſolùm eſt pro vna, aut altera argumentatione, ſed pro multis circa quancunque materiam, vt ſecundum prædictam Maximam poterit argumentari in omnibus definitionibus quarumcunque rerum. Additur, *per ſe probabilis*: quia tales Maximæ Dialecticè non

pro

probantur, cùm nullam illis probabiliorem aſſumere poſſimus propoſitionem ad earum probationem: ſed per ſe ſunt probabiliſſimæ,& multæ ex his ſunt neceſſariæ. Additur vltimò, *cuius veritati multæ argumentationes Dialecticæ innituntur:* vt intelligas, has Maximas non eſſe ſumendas vt partes argumentationum, tanquam Maiorem, aut Minorem: ſunt enim extrinſeca principia, quæ argumentationẽ non de neceſſitate componunt, ſed ipſam corroborant, & probare faciunt: quibus ſublatis tales argumentationes nullius prorſus ponderis eſſent: ac propterea Maximæ dicuntur, quaſi ſupra Minores & Maiores, quæ ſunt Syllogiſmorum partes.

LOCVS Differentiæ Maximæ, eſt id, quo inter ſe plures Maximæ diſtinguuntur & ſeparantur, non enim omnes ſunt eiuſdem rationis, quædam enim argumenta vnius rationis, quædam alterius procreant, vnde variè nominantur: ac tales denominationes dicuntur Loci Differentiæ Maximæ, vt à Contrariis dicitur Locus, à quo ducuntur argumenta probantia rem per ſua contraria, à Definitione, à quo ducuntur argumenta probantia per definitionem, ſimiliter à Cauſis, ab Effectibus, &c. Sicut autem ſub vna Maxima multæ argumentationes concluduntur, ita & ſub vna Differentia Maximæ plures Maximæ continentur, vt ſub hoc loco à Definitione continentur plures Maximæ, nempe, De quocunque prædicatur definitum, de eodem & definitio, Quod prædicatur de definitione, etiam de definito, & aliæ, de quibus dicemus. *Differentia Maximæ.*

VT autem quomodò has differentias liceat ſumere cognoſcamus, tres termini in his argumentationibus ſunt aduertẽdi, Medius, Minor extremitas, & Maior. Hi autem cognoſcuntur, ſi talis argumentatio, quando Syllogiſmus non fuerit, ad eum reducatur, cùm Enthymemata, & Inductiones ad Syllogiſmi formam reduci queant, vt Ariſt. docet. Verbi gratia, Animal rationale eſt riſibile, ergo Homo eſt riſibilis: Riſibile, eſt Maior extremitas: animal rationale, terminus eſt medius: homo verò, Minor extremitas. Vt autem Locum, à quo argumentum procedit, cognoſcamus, inſpiciendus eſt terminus Medius, & ab eo denominandus eſt Locus: vt ſi inferens eſt definitio, Locus dicetur à Definitione, ſi definitum, à Definito, ſi cauſa, à cauſis, ſi effectus, ab Effectibus, & ſic de reliquis. *Differentiarũ Maximæ cognitio vnde petenda.*

LOCVS Differentiæ Maximæ triplex eſt in generali, Internus, Externus, Medius. Internus, eſt à quo ducuntur argumenta *Locus Differentiæ Maximæ triplex Internus.*

menta probantia quæſtionem per ea quæ ſunt ſubſtantia rei, vt per definitionem, per definitum, vel per ea, quæ comitantur ſubſtantiam rei. Externus eſt, à quo argumenta petuntur, quæ probant rem per extrinſeca, & repugnantia. Medius, à quo argumenta ſumuntur, quæ rem per ea quæ nec omnino intrinſeca, nec omnino extrinſeca ſunt, probant, de quibus ſigillatim eſt dicendum.

Externus. *Medius.*

De loco Intrinſeco,

CAP. IIII.

Locus Intrinſecus duplex.

LOCVS Intrinſecus duplex eſt. Alter à Subſtantia rei, Alter à Concomitantibus ſubſtantiam. Locus à Subſtantia, eſt à quo argumenta ducuntur, quæ rem per ea, quæ ſunt ſubſtantiæ ipſius, vel eam ſignificant, probant. Eſt autem locus triplex, A definitione, & definito, à Deſcriptione, & deſcriptio, ab Interpretatione, & interpretato.

A ſubſtantia, iſque triplex.

1. A Definitione. Definitio.

LOCVS à Definitione, eſt habitudo definitionis ad definitum, ſecundum quam definitio ipſum definitum fert ſemper ſecum. Vocamus autem hîc Definitionem, orationem explicantem naturam rei per ea, quæ ſunt de ſubſtantia ipſius: qualis eſt definitio, quæ datur per genus, & differentiam, vel per eas partes, quæ ſunt rei ſubſtantia. Ab hoc autem loco ſumuntur quatuor modi argumentandi quatuor Maximis innixi, duo ex parte ſubiecti quæſtionis, duo ex parte prædicati; vt ſit quæſtio, an Iuſtitia ſit virtus, poteſt primò probari affirmatiuè ex parte ſubiecti ponendo ipſius definitionem, ſcilicet, Habitus tribuens cuique quod ſuum eſt, eſt virtus, ergo Iuſtitia eſt virtus: alter modus eſt negatiuus ad probandam oppoſitam partem adhuc ex parte ſubiecti, Habitus tribuens cuique quod ſuum eſt, non eſt vitium, ergo Iuſtitia nō eſt vitium. Prior fundatur in hac Maxima, *Quicquid prædicatur affirmatiuè de definitione, affirmabitur de definito:* poſterior in hac, *Quicquid negatur de definitione, negatur de definito.* Alij duo modi ſunt ex parte definitionis prædicati: alter affirmatiuus, ſic, Iuſtitia eſt habitus bonus, ergo Iuſtitia eſt virtus: alter negatiuus idem negando. Eſt autem Maxima prioris, *De quo affirmatur definitio, affirmatur definitum;* poſterioris verò, *A quo negatur definitio, etiam definitum negatur.*

A definito.

Aliquando conuerſo modo per definitum definitionem probamus, & locus dicitur à Definito, & ſunt tot modi argumentandi fundati eiſdem Maximis mutando terminos, nempe, *Quod affirmatur de definito, etiam de definitione, Quod negatur ſimili*

mili ratione. Idem ex parte prædicati.

Locvs à Deſcriptione eſt ſimilis ferè loco à definitione, hoc vno dempto, quòd loco definitionis ſumimus deſcriptionem, & locus à definito ſimilis eſt loco à deſcripto. Vocamus autem Deſcriptionem, orationem explicantem rem non per differentias ſubſtantiales, ſed per accidentia propria, quę paſſim ponuntur loco differentiarum, cùm differentiæ ipſæ in plurimùm occultæ ſint, quo definiendi genere ferè ſemper oratores vtuntur: definiunt enim, ſeu deſcribunt hominē eſſe animal bipes, magni cerebri, erecta facie. Sunt ſimiles modi argumentandi, ſimiles etiam maximæ mutatis terminis. *2. A Deſcriptione. Deſcriptio.*

Tertivs locus ab Interpretatione. Eſt autem Interpretatio, non rei, ſed nominis explicatio, vt, Philoſophus eſt amator ſcientiæ, Theologus, qui de Deo loquitur, & ſimiles, quæ cum ſuo interpretato recurrunt, & conuertuntur. Sunt autem & in his iidem argumentandi modi, & Maximæ terminis mutatis, quas omnes Maximas deſcribere, lectori erit facillimum. Ad hos Locos deſcriptos reducuntur alij, quia modus idem argumentandi eſt. Sub loco à Definitione eſt Locus à Differentia, ſub Loco à Deſcriptione Locus à Proprio, ſub Loco ab Interpretatione Locus à Synonymis, & Locus à conuertibilibus. Synonyma dicuntur diuerſæ voces eandem prorſus rem ſignificantes, vt enſis, & gladius. Conuertibilia verò, quorum vnum de altero adinuicem vniuerſaliter prædicatur, vt flebile, riſibile; omne enim flebile eſt riſibile, & omne riſibile eſt etiam flebile. Sunt etiam in his eædem Maximæ quæ ſunt in Interpretatione. *3. Ab Interpretatione. Interpretatio. Synonyma. Conuertibilia.*

De locis à Concomitantibus ſubſtantiam.

De Loco à toto.

CAP. XV.

Locvs à Concomitantibus ſubſtantiam, eſt à quo argumenta trahimus per ea, quæ rem ipſam antecedunt, comitantur, aut ſequuntur; non ſunt autem rei ſubſtantia. *Locus a Concomitantibus Subſtantiam.*

Est autē vnus ex his Locus à Toto, & Partibus, à quo argumenta ducimus, partes per totum, aut totum per partes probantia. Sex autem modis Totum aliquod eſt, Totum vniuerſale, Totum in quantitate, Totum integrale, Totum in modo, Totum in loco, Totum in temporo. *A Toto & Partibus. Sex modi Totum.*

De Toto vniuerſali.

Totvm vniuerſale vocatur quodcunque ſuperius prædicatum reſpectu inferiorum, quæ partes ſubiectiuæ dici ſolent, vt animal reſpectu hominis, leonis, & aliorùm, *1. Totum vniuerſale.*

homo reſpectu indiuiduorum.

A Toto vniuerſali modi argum.

Eſt autem à Toto vniuerſali modus argumentandi quadruplex. Primus ex parte ſubiecti affirmatiuus, à toto ad ſingulas partes diſiunctiuè, vt, Elementum eſt leue, Ergo aqua, vel terra, vel aër, vel ignis eſt leuis. Huius Maxima, *Quod de*
1. *toto vniuerſali affirmatur, de aliqua eius parte affirmabitur.* Se-
2. cundus, ex parte prædicati etiam affirmatiuus, à Toto ad
partes diſiunctiuè, vt, Cibus eſt bonus, Ergo vtilis, aut ho-
neſtus, aut delectabilis. Maxima, *De quo totum vniuerſale af-*
3. *firmatur, aliqua eius affirmabitur pars.* Tertius, ex parte ſub-
iecti negatiuus, à Toto ad partes etiam diſiunctiuè, vt, Ani-
mal non eſt expers rationis, Ergo vel homo vel brutum non
eſt expers rationis. Maxima, *Quod negatur de toto, negatur de*
4. *aliqua parte.* Quartus, negatiuus ex parte prædicati: à toto ad
ſingulas, aut omnes partes copulatiuè, vt, Negligentia non
eſt bona, Ergo nec vtilis, nec honeſta, nec delectabilis. Maxi-
ma, *A quo remouetur Totum vniuerſale, remouentur ſingulæ ip-
ſius partes.*

A partibus ad Totum vniuerſ.

Solet etiam argumentum ſumi ab huiuſmodi partibus
ad totum, ac ſunt totidem argumentandi modi. Primus ex
parte ſubiecti affirmatiuus, à ſingulis partibus ad totum, Tē-
1. perantia eſt amanda, ergo virtus eſt amanda. Maxima, *Quod*
2 *affirmatur de parte ſubiectiua, affirmatur de toto.* Secundus
3: ſimilis ex parte prædicati affirmatiuus, à parte ad totū, Labor
eſt vtilis, Ergo eſt bonus. Maxima, *De quo affirmatur pars ſub-
iectiua, & eius totum affirmabitur.* Tertius, ex parte ſubiecti
negatiuus, à ſingulis partibus ad totum, Equus non intelligit,
Ergo animal nō intelligit. Maxima, *Quod negatur de parte ſub-*
4. *iectiua, etiam de toto negabitur.* Quartus, ex parte prædicati ne-
gatiuus, à negatione omnium partium copulatiuè ad nega-
tionem totius, vt, Planta nec eſt ignis, nec aër, nec aqua, nec
terra, Ergo non eſt elementum. Maxima, *A quo partes omnes
ſubiectiua remouentur, & totum remouebitur.*

De Toto in Quantitate.

Totum in quantitate.

Totum in quantitate vocatur ſuperius aliquod cū ſigno vniuerſalitatis, aut particularitatis, vt ſi dicas, Omne animal, Nullum animal, vel, Aliquod animal.

Ab eo argum. modi.

Et ab hoc multiplex trahitur argumentum: oſtendamus
primò in Toto vniuerſali. Eſt primus, à parte ſubiecti affirma-
1. tiuus, à toto ad ſingulas partes, vt, Omne animal eſt ſenſibile,

Ergo Cócha eſt ſenſibilis,& Spongia eſt ſenſibilis, & reliqua. Maxima, *Quod de toto in quantitate vniuerſali affirmatur, & de ſingulis partibus affirmabitur.* Secundus, ex parte prædicati af- 2.
firmatiuus,à toto ad ſingulas partes,vt,Homo habet omnem ſenſum,Ergo viſum habet. Maxima. *De quo affirmatur totum vniuerſale in quantitate, affirmantur ſingulæ partes.* Tertius,ne- 3.
gatiuus ex parte ſubiecti, à toto ad ſingulas etiam partes, vt, Nullum animal eſt inſenſibile, Ergo leo non eſt inſenſibilis. Maxima,*Quod negatur de toto vniuerſali in quantitate,negabitur de ſingulis partibus.* Quartus, ex parte prædicati negatiuus, à 4.
toto ad ſingulas partes,vt, Lapis nullum habet ſenſum, Ergo non habet viſum. Maxima, *A quo totum remouetur vniuerſale in quantitate & ſingulæ partes remouebuntur.*

A partibus ad Totum.

A PARTIBVS etiam ad huiuſmodi totum trahitur argumentum. Primus affirmatiuus ex parte ſubiecti, ab omnibus partibus copulatiuè ad totum, vt, Aqua eſt corpus ſim- 1.
plex,Terra eſt ſimplex, aër eſt ſimplex, ignis eſt ſimplex, Ergo omne elementum eſt corpus ſimplex. Maxima, *Quod de omnibus partibus prædicatur,etiam de ipſo vniuerſali in quantitate affirmabitur.* Secundus, ex parte prædicati affirmatiuus, e- 2.
tiam ab omnibus partibus ad totum, vt, Homo habet viſum, auditum,guſtum, & reliquos, Ergo habet omnem ſenſum. Maxima, *De quo omnes partes affirmantur, & ipſum totum in quantitate vniuerſale.* Tertius, ex parte ſubiecti negatiuus, 3.
ab omnibus partibus ad totum copulatiuè, vt, Homo non caret ſenſu, & brutum non caret ſenſu, & omnia inferiora, Ergo nullum animal caret ſenſu. Maxima, *Quod negatur de omnibus partibus, etiam vniuerſaliter de toto in quantitate negabitur.* Quartus,ex parte prædicati ab omnibus partibus ad to- 4.
tum,vt,Lapis non habet guſtum,nec auditum,nec viſum,nec reliquos, Ergo nullum habet ſenſum. Maxima, *De quo omnes negantur partes,& ipſum totum negabitur.*

A Toto in quantitate particulari.

ALTERVM Totum eſt particulare, vt, Aliquod animal. Et in hoc ſunt ſimiles argumentandi modi, qui erant in Toto vniuerſali: nam indefinitum quod Totum vniuerſale eſt, æquiualet particulari,propterea non repetuntur.

De Toto integrali.

Totũ integrale.

TOTVM integrale,eſt corpus aliquod reſpectu partium quantitatis,vt domus reſpectu fundamenti,& reliquarũ partium huiuſmodi,& animal reſpectu capitis,pectoris, ven-

Partes totius integralis duorum generum. tris,&c.Hæ autem partes in duplici ſunt differentia:quædam enim neceſſariæ , quædam non neceſſariæ ſunt. Neceſſariæ dicuntur , ſine quibus Totum conſiſtere nequit, vt hominis neceſſariæ partes ſunt caput,cor,pectus.Non neceſſariæ verò

Neceſſaria. dicuntur,ſine quibus Totum ipſum poteſt conſiſtere,quem-

Non neceſſaria. admodum digitus,naſus,aures,non ſunt animalis neceſſariæ partes.

Arg. à toto integra. ad partes. ARGVMENTA à neceſſariis partibus ſolùm ducimus. Eſt autem Primus argumentandi modus , ab affirmatione totius

1. integralis ad omnes ſimul , & ſingulas per ſe eius partes neceſſarias,vt,Eſt homo,Ergo pectus habet,cor habet , & ſimilia:ſimiliter,Deus gubernat vniuerſum,Ergo & homines gubernat.Maxima,*Poſito toto integrali, ponuntur partes neceſſaria.*

2. Alter modus eſt, à totius negatione ad negationem partium omnium diſiunctiuè,vt,Non eſt domus, Ergo vel nõ eſt fundamentum,vel non eſt tectum, vel deeſt aliqua alia pars neceſſaria.Maxima,*Ablato toto aufertur aliqua pars neceſſaria.*

A partibus ad totum integrale. A PARTIBVS ad totum ſunt alij duo argumentandi modi.Alter affirmatiuus, ab omnibus partibus neceſſariis ad totum, vt, Eſt cor, eſt pectus , ſunt inteſtina , & reliquæ partes neceſſariæ,Ergo eſt animal.Maxima,*Poſitis omnibus parti-*

1. 2. *bus ponitur totum.* Alter modus eſt à negatione vnius partis principalis ad negationem totius, vt non eſt fundamentum, ergo non eſt domus. Maxima , *Ablata vna parte neceſſaria aufertur totum.*

De Toto in modo.

Totum in modo. TOTVM in modo vocamus quodcunque vocabulum reſpectu ſui ipſius cum aliqua reſtrictione ſumpti , quod

Pars in modo. Pars in modo dicitur : vnde homo , Totum in modo; homo doctus,Pars in modo.Oportet autem conſiderare,vt talis reſtrictio non ſit diſtrahens,aut diminuens ſignificationem totius :tunc enim non erit pars,aut totum , vnde leo marmoreus, homo pictus, album ſecundum dentes, non ſunt partes in modo.

Argumenta a toto in modo. SVMITVR autem in his argumentum,& à toto,& à parte. Primus, à toto ex parte ſubiecti affirmatiuus , à toto ad par-

1. tem,vt,Omnes homines appetunt ſcire,Ergo homines rudes appetunt ſcire.Maxima, *Quod de toto in modo vniuerſaliter prædicatur,etiam de parte affirmabitur.*

2. SECVNDVS,ex parte prædicati affirmatiuus,à toto ad partem,vt,

tem,vt,Deus fecit cuncta animalia,Ergo fecit animalia terreſtria Maxima, *De quo totum in modo vniuerſaliter affirmatur, etiam pars affirmabitur.*

TERTIVS, ex parte ſubiecti negatiuus, à toto ad partem, 3
Nullus homo eſt odio habendus, Ergo nec homines inimici ſunt odio habendi. Maxima, *Quod negatur de toto vniuerſaliter, & de eius parte negabitur.*

QVARTVS, idem ex parte prædicati, Deus nullos homi- 4
nes vult perire, Ergo non vult homines peccatores perire, ſed vt conuertantur. Maxima, *De quo totum vniuerſaliter negatur, etiam pars in modo negabitur*: In his omnibus modis obſeruatum eſt, & ſemper obſeruari debet, vt quoties à toto hoc ad partes argumentati fuerimus, ſemper totum cum vniuerſalitate ſumatur: oppoſitum fiet, cùm à parte in modo ad totum ducatur argumentum: tunc enim totum particulariter ſumere oportet.

A PARTE ſimiliter argumentamur ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati, affirmatiuè & negatiuè. Sunt enim Maximę, *Quod affirmatur de parte in modo, & de eius toto particulariter ſumpto*; &, *De quo affirmatur pars in modo, etiam totum particulariter*: &, *Quod negatur de parte in modo, & de toto*: &, *De quo negatur pars, etiam totum, particulariter tamen.* *A parte in modo.*

De Toto in Loco, & Toto in tempore.

TOTVM in loco, eſt aduerbium tempus vniuerſaliter ſignificans, vt, Vbique, Nullibi, Nuſquam. Totum in tempore, eſt quod tempus vniuerſaliter ſignificat, vt, Nunquam, ſemper, & ſimilia. *Totum in loco & in tempore.*

IN vtroque autem Toto valet ad ſingulas partes tam affirmatiuè, quam negatiuè, vt, Vbique eſt Deus, Ergo in deſerto eſt Deus, Vbique ſunt animalia, Ergo in India ſunt animalia, Nullibi eſt Chimæra, Ergo in Hiſpania non eſt Chimæra Similiter in tempore, Semper Deus fuit, Ergo fuit Deus olim, Nunquam lapides ſentient, Ergo nec poſt mille annos ſentient. *Vtroque toto.*

A PARTE verò etiã valet, à ſingulis enim partibus ad totum valet, ſed nõ omni modo, ſed à Parte affirmatiuè ad negationem totius negatiui, & à Parte negatiuè ad affirmatiui negationem, vt, Hic eſt Petrus, Ergo non nullibi eſt Petrus, Romæ non eſt Rex, Ergo non vbique eſt Rex, Cras non legam, Ergo non ſemper legã, Cras legam, Ergo nonnunquam *A parte.*

Ab omnibus partibus ſimul. legam. Quòd ſi omnes partes ſumamus, tūc valebit ab omnibus partibus ſimul ad ſuum totum ſicut in aliis vniuerſalibus, vt, Deus eſt in cœlo, in terra, in mari & aliis locis, Ergo eſt vbique. Idem in negatiuis, & aliis etiam totis. Maximæ ſunt, *Poſito toto in loco, vel in tempore ponuntur ſingulæ partes: Poſita vna parte, remouetur totum oppoſitum parti: Poſitis omnibus partibus, ponitur illarum totum.*

Aduerbia temporis & loci. POSSENT etiam aduerbia, tempus & locum particulariter ſignificantia, dici Totum, vt, Alicubi, Aliquando, in quibus ſunt idem modi argumentandi, qui in Toto vniuerſali, & indefinito.

De Loco à Cauſis.

CAP. VI.

Loci à Cauſis, præcipui. LOCI argumentandi à Cauſis ferè inter omnes præcipui ſunt, ac meritò inter internos numerantur, cùm Cauſæ maximam cum rei ſubſtantia affinitatem habeant, adeò, vt per eas optimè res definiri valeant.

Cauſa. EST autem Cauſa, id ad cuius eſſe aliud ſequitur, vt ignis Cauſa eſt caloris, quippe ad ipſius eſſe calor ſequatur.

Cauſarum genera 4. QVADRVPLEX autem eſt genus Cauſæ, Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis: de quarum ſingulis ordine trademus loca, & argumentandi modos.

A Cauſa efficienti.

Cauſa efficiens. CAVSA efficiens, eſt id, à quo primo incipit motus, & operatio v. g. ignis calefacit aquã, motus huius initium fuit ignis, ignis eſt Cauſa efficiens. Cauſa efficiens diuidi ſolet in *Neceſſaria* Neceſſariam & Sufficientem Neceſſaria ea vocatur, à qua ita procedit effectus, vt nō poſſit poſita Cauſa nō procedere, nec ab alia Cauſa talis effectus poſſit prouenire, vt Solis præſẽtia eſt Cauſa diei: poſita enim præſentia Solis non poteſt nō eſſe dies, nec dies ab alia Cauſa prouenire poteſt, quàm ab illo. Al- *Sufficiens.* tera Cauſa eſt Sufficiens, quæ ſuum effectũ ſemper producit, quamuis effectus poſſit ab aliis Cauſis prouenire, vt, iugulatio eſt Cauſa mortis, & ignis Cauſa caloris: tamen hi effectus ab aliis poſſunt prouenire Cauſis; multa enim calorẽ producunt præter ignem, & mortem efficiũt præter iugulationem.

Altera Cauſæ diuiſio. Actu. Potentia. ITERVM Cauſa duplex eſt, quædam Actu, quædã Potentia. Cauſa actu eſt, quæ operationem ipſam effectus ſignificat, vt ædificans, domificans, calefaciens. Potentia verò, quę non talem actũ importat, vt domificator, calefactiuũ, ædificatiuum.

IVXTA has diſtinctiones ſunt quatuor modi vulgares argumentandi. Primus, à Cauſis Neceſſariis & effectibus affirmatiuè & negatiuè. Verbi gratia, Sol lucet, Ergo dies eſt, & è contrà. Dies eſt, Ergo Sol lucet: Erit citò interpoſitio terræ inter Solem & Lunam, Ergo erit citò Eclipſis, & è contra, Similiter negatiuè Non lucet Sol, Ergo nõ eſt dies, Nõ eſt dies, Ergo nõ lucet Sol hemiſphærio. Maximę horũ sũt, *Poſita Cauſa neceſſaria ponitur effectus*: &, *Poſito effectu ponitur talis Cauſa: Ablata Cauſa aufertur effectus, & Ablato effectu, aufertur Cauſa.* *Argumē. modi.* 1

SECVNDVS Locus, à Cauſa Sufficienti ad effectum valet, affirmatiuè, ab effectu verò ſolùm negatiuè, vt, Eſt iugulatus, Ergo interiit, Eſt ignis, Ergo eſt calor: Ab effectu, Nõ interiit, Ergo non eſt iugulatus, Non eſt calor, Ergo non eſt ignis. Maximæ, *Poſita Cauſa Sufficienti, ponitur effectus: Ablato effectu, aufertur cauſa Sufficiens.* 2

TERTIVS, à Cauſa Potentiali ad poſſibilitatem effectus valet affirmatiuè, ab effectus verò exiſtentia ad præexiſtentiam Cauſæ, vt Domificator eſt, Ergo poſſunt fieri domus, Domus exiſtit, Ergo domificator fuit. Hìc aduerte a Cauſa ad effectum non valere ſimpliciter, quia plura ſunt neceſſaria quàm domificator, vt poſſit domus fieri, nempe materia, & forma, & finis, ſed valet poſitis aliis neceſſariis. Maximæ, *Poſita Cauſa Potentiali cum aliis requiſitis, poſsibilis eſt effectus, & Poſito effectu, neceſſariò præceſsit Cauſa.* 3

QVARTVS, à Cauſa Actuali ad effectum, & è contra valet affirmatiuè, & negatiuè, ſed ex parte effectus cum verbo denotante operationẽ, vt Aedificãs eſt, Ergo ædificiũ fit, Aedificiũ fit, Ergo ædificans eſt: ſimiliter negatiuè. Maximæ, *Operante Cauſa, fit effectus: Ceſſante Cauſa, non fit effectus, & è contra.* 4

PRAETER hos modos vulgares ſunt alij vtiles admodum. Cũ n. omnis Cauſa efficiens effectũ ſibi in eo quo poteſt aſſimilari ſtudeat, probabiliter quæ insũt Cauſis attribuimus effectib⁹ & è cõtra, vt. Mũdus eſt factus à Deo. Ergo bonus eſt, Liber iſte eſt ab Ariſtotele editus, Ergo philoſophia bona refertus eſt, A magiſtris peritiſſimis didicit iſte literas, Ergo maximè peritus eſt, Nõ eſt domificator peritus, Ergo nõ erit domus pulchra, Nõ conuerſatur cum bonis, Ergo nõ eſt bonus. *Alij argumentandi modi.*

A Cauſa Materiali.

MATERIALIS Cauſa eſt ex qua in exiſtẽti aliquid fit: ſunt enim duo neceſſaria ad materialem cauſam, alterum, vt *Cauſa materialis* [illegible]

ex ea aliquid fiat, alterum vt ita ex ea fiat, vt aſſumatur ipſa intra id quod fit, quo pacto ex terra dicimus fieri vaſa, & ex lignis, & lapidibus domum. Materia duplex eſt, altera permanens, altera tranſiens. Permanens eſt, cuius ſubſtantia in re effecta manet, vt, lignum materia permanens eſt cathedræ, quia facta cathedra adhuc manet in ea lignum. Tranſiens verò cuius ſubſtantia non manet, vt farina & aqua ſunt materiā panis, ſed facto pane iam non eſt farina aut aqua.

Materia duplex.

Argum. modi.

SVNT autem communes argumentandi modi. Primus, à
1. materialis cauſæ ſiue permanentis, ſiue tranſeuntis affirmatione, ad effectus poſſibilitatem, vt, Farina & aqua ſunt, Ergo panis poteſt eſſe, Lignum eſt, Ergo poteſt fieri cathedra: quāuis non ſimpliciter valeat, cùm pluribus cauſis opus ſit.
2. Secundus modus, à cauſis iſtis negatiuè, ſed non ſimili modo, ſed à permanenti cum ſimplici verbo, Non eſt ferrum, Ergo non ſunt arma ferrea. A tranſeunti verò cum præteriti verbo ad præſentiam effectus, vt, Non fuit farina, Ergo non eſt panis Valebit tamen in præſenti quando eſt verbum ſignificans operationem effectus, vt, Non eſt farina, Ergo non fit panis. Maximæ horum ſunt, *Poſita materiali cauſa, poſsibilis eſt effectus: Remota materia permanenti, remouetur effectus: Non præcedente*
3. *materia tranſeunti, nullus ſequitur effectus.* Tertius modus eſt ab Effectu, in permanenti valet affirmatiuè, non autem negatiuè, vt, Sunt arma ferrea, Ergo eſt ferrum: negatiuè non valet, Non ſunt arma, Ergo non eſt ferrum. In tranſeunti negatiuè non valet, affirmatiuè verò ſequitur cauſam præceſſiſſe, vt, Panis eſt, Ergo fuit farina: Præter hos vulgares modos arguēdi, ſunt alij vtiles, nempe prædicare proprietates quæ inſurgunt, ac proueniunt ex variis materiis, & remouere etiā quæ diuerſæ ſunt, vt, Homo eſt ex terra factus, Ergo eſt corruptibilis, Domus conſtat ex lapidibus, Ergo durabilis eſt, Gladius eſt ex plumbo, Non igitur acutus eſt. Et ad hunc locum pertinent argumenta, quæ trahuntur ex locis, & diuerſa natura locorum, vt, Piſces in aquis degunt, Sunt igitur humidi, Natus eſt in Germania, Ergo ſtrenuus eſt: & alia ſimilia, quorum vſus eſt frequens.

Alij arg. modi.

A Cauſa Formali.

Cauſa formalis.
Accidentalis.

CAVSA Formalis, eſt qua res habet aliquod eſſe, vt, Albedo eſt Cauſa formalis albi, & anima animalis. Hæc duplex eſt, altera Accidētalis, quale eſt omne accidens reſpectu proprij

prij ſubiecti, quod denominat : altera Subſtantialis, quales ſunt formæ, quæ faciunt ſubſtantias, vt anima hominis, anima leonis, forma ignis, & ſimiles. Locus eſt facilis à Cauſa ad effectum affirmatiuè & negatiuè, & ab effectu etiam ad Cauſam, vt, Albedo inhæret, Ergo album eſt, Non inhæret, Ergo non eſt album, & è contra. Maximæ, *Poſita, vel ablata cauſa formali, ponitur, vel aufertur effectus & è contra.* *Subſtantialis.*

In hac eſt peculiaris argumentandi modus, pertinet tamen ad Locum à coniugatis, proptereà illic explicabitur. *Argum. modus peculiaris.*

A cauſa Finali.

Finis, eſt cuius gratia aliquid fit, vt, ſanitas finis eſt medici, ipſius enim cauſa medicus remedia adhibet. *Finis.*

In hac eſt vulgaris modus argumentandi, à fine bono, vel malo ad bonitatem, vel malitiam rei, dummodò ſit finis per ſe, id eſt, ad quem res ſecundum ſe ordinatur: valet enim, Frui Deo bonum eſt, Ergo, & eius mandata obſeruare bonum eſt, Occidere malum eſt, Ergo inſidias parare malum eſt. Dico, quando finis eſt per ſe: nam ſi quis furetur vt faciat eleemoſynam, furari non eſt bonum, quamuis finis ſit bonus, quia talis finis non eſt per ſe ipſius furti. *Argum. modus vulgaris.*

Svnt tamen alij valde vtiles modi argumentandi in hac cauſa. Primus, cuius finis bonus, & id bonum, cuius finis melior, & id melius, cuius optimus, & id optimum, vt, Melius eſt rectè viuere, quàm multa cognoſcere, Ergo melior ſcientia eſt ipſa virtus. Optima naturalium cognitionum eſt cognitio ſubſtantiæ primæ, Ergo Metaphyſica eſt prima & optima ſcientiarum naturalium. Idem etiam valet oppoſito modo de malo, Cuius finis peior aut peſſimus, id peius eſt aut peſſimum. Hinc iſte Locus plurimum valet ad perſuadendum, cùm voluntas maximè in bonum inclinetur, & à malo auerſetur. *Alij argu. modi.* 1.

2. Secvndvs, qualis eſt Finis, tales & debēt aliæ tres Cauſæ admoueri: ex quo colligimus proprietates reliquarū Cauſarum ſecundum finis proprietatem, vt, Domus debet nos defendere à ventis, Debet ergo ex lapidibus fortibus conſtare; Pater intendit bene filium educare, Debet ergo bono magiſtro committere eum, Gladius ſecare debet, Oportet ergo vt ſit acuta acie. Huiuſmodi ſunt innumera argumenta.

3. Tertivs, qualis eſt finis talia debent eſſe media ad finem, vt, Vis ad vitam ingredi, Oportet ergo ſeruare mandata Dei, Scientia præditos eſſe oportet, ſtudiis ergo, & vigiliis incumbendum eſt.

Qvar

4. Qvartvs, à Fine remouenda ſunt media extranea & deformia ei, vt Studeo ſapientiæ, Non ergo eſt mihi otiandum, Vir bonus aſpirat ad fœlicitatem, Non ergo voluptatibus carnis ſe debet obruere. Secundum hanc normam innumera ſumuntur argumenta.

De Loco à Generatione, & Corruptione, & ab Vſu.

CAP. VII.

Generatio. Corruptio. Vſus. Loca hæc proxima Cauſis ſunt. Eſt autem Generatio, vt communiter explicemus, rei productio. Corruptio verò, rei deſtructio. Vſus autem, ſecundum quem rebus vtimur.

A Generatione. Bonum. Malum. Est Locus à Generatione affirmatiuus, Cuius generatio eſt bona, & ipſum bonum, & è contra: ſimiliter circa malum, Cuius generatio eſt mala, ipſum eſt malum, & è contra. Per Bonum autem, & Malum intelligimus reliqua nomina ſimiles qualitates ſignificantia, vt, Chriſti natiuitas bona fuit, Ergo & Chriſtus ipſe bonus fuit, Peccatum malum fuit, Ergo & ipſum committere malum fuit.

A Corruptione. Alter Locus, à Corruptione Cuius corruptio bona ipſum malum, & cuius corruptio mala ipſum bonum: Aequum eſt latrones ſuſpendi, Ergo latrones iniqui ſunt, Impium fuit Chriſtum occidiſſe, Ergo Chriſtus innocens fuit. Hîc autem attendamus, vt bonum & malum per ſe ſumamus; aliter n. non valebit argumentum: non enim valet, Vtile nobis fuit Chriſtum mori, Ergo Chriſtus inutilis fuit, quia non ſumimus id, quod eſt per ſe; mors enim vt mors eſt, non eſt vtilis; nec qua parte homines Chriſtum occiderunt, bonum fuit, ſed ex ipſius beneplacito, qui morte ſua nos redemit.

Ab vſu. Tertivs locus, eſt ab Vſu, cuius vſus bonus, aut malus, & ipſum bonum, aut malum eſt, & è contra, dummodò vſum non autem abuſum ſumamus, vt, Lætificare cor, ſtomachum, roborare bonum eſt, Ergo & vinum bonum eſt: non tamen valet, Occidere amicum, malum eſt, Ergo gladius malus eſt; hîc enim non vſus, ſed abuſus eſt.

A Communiter accidentibus.

Communiter accidentia. Commvniter accidentia vocantur, quorum vnum cum altero coniungitur, ſiue vnum antecedat, alterum ſequatur, ſiue ſimul ſint, vt, concepiſſe, & parere floruiſſe, & habere fructus, eſſe Irim, & futuram pluuiam, pati verecundiam, & rubeſcere.

HAEC autem ſunt in duplici differentia. Quædam, quorum vnum cum altero neceſſariò coniungitur, quamuis non conuertibiliter, vt, parere neceſſariò coniungitur cum eo, quod eſt concepiſſe, non è contra. Quædam, quorum vnum cum altero plerunque coniungitur, vt, Bacchanalia eſſe, & rixas fieri. *Duplicia.*

TVNC vnus argumentandi modus, in iis quæ neceſſariò coniungũtur ex parte eius, quod cum altero iungitur affirmatiuè: ex parte verò alterius negatiuè, qui modus eſt conſequentia neceſſaria, vt, Peperit, Ergo concepit, Fructus fert, Ergo floruit; è contra. Non concepit, Ergo non pariet, Non floruit, Ergo non feret fructus. Alter modus eſt in iis, quæ plerunque iunguntur, & in his ſumitur ſimilis conſequentia, ſed probabilis tantùm, vt, Bacchanalia ſunt, Ergo rixæ erunt, Non ſunt rixæ, Ergo non fuerunt Bacchanalia. *Argum. modus.*

AD hos argumentandi modos pertinent argumenta, quæ ſumuntur à ſignis naturalibus phyſiognomicis, à prodigiis, à portentis, & quæ ab auguriis olim ſumebantur, quamuis talia argumenta, iam inania, & fallacia ſint. Reducuntur etiam argumenta quæ ſumuntur ex ſuſpicionibus, à dictis, à factis alicuius, quamuis non omnia neceſſaria ſint, aut probabilia. *Argum. alia à ſignis naturalibus.*

De locis Externis. Ab Oppoſitis & Diſparatis.

CAP. VIII.

NON ſolum ab iis, quæ rei ſubſtantia ſunt, vel eam circunſtant, argumenta trahimus, ſed etiã ab iis, quæ extranea & aduerſa ſunt. Ac tales Loci Externi dicuntur: inter quos de Oppoſitis & Diſparatis eſſet modò agẽdum ſi in primo libro abundè hoc iam nouis auditoribus, quo ſe in arguendo exercerẽt, nõ cõceſſiſſemus. Hìc ſolùm Maximas ipſas, & aliquos argumentandi modos, quos illic prætermiſimus, aperiemus. *Loci Externi.*

EST Maxima prima pro relatiuè oppoſitis, *Relatiuà ſimul ſe ponunt, & ſimul ſe perimunt in propriis ſubiectis*, vt, Si pater eſt, etiam filius eſt, &, Si pater non eſt, nec filius eſt. Altera, *In eodem ſubiecto: ſi vnum affirmatur, & alterum negatur reſpectu eiuſdem termini*, vt, Petrus eſt filius Pauli, Ergo non eius pater: negatiuè non valet, Non eſt pater, Ergo non eſt filius; poteſt enim eſſe, quòd nec ſit pater, nec filius. Maxima pro contrariis, & priuatis, *De quo vnum affirmatur, & alterum negari debet*, vt, Nix eſt alba, Ergo non eſt nigra. Homo videt, Ergo non eſt cæcus, negatiuè non valet niſi ſumamus proprium ſubiectum capax talium oppoſitorum, & ſumamus contraria, quæ non habent medium, tunc enim, *Maxima pro relatiuè oppoſitis.* *Pro contrariis & priuantibus.*

de quo

de quo negatur vnum, affirmatur alterum, vt, Homo non videt, Ergo eſt cæcus, Leo non eſt cæcus, Ergo videt, Aqua non eſt calida, Ergo eſt frigida, Ignis non eſt frigidus, Ergo eſt calidus. In Contradictoriis, *de quo affirmatur vnum, negatur alterum, & è contrà,* vt, Lapis eſt, non homo, Ergo non eſt homo, Non eſt homo, Ergo eſt non homo; præſertim in ſubiectis exiſtentibus.

Pro contradictoriis.

Argum. modi.

In Contradictoriis eſt modus argumentandi à contradictorio prædicati, ad contradictorium ſubiecti, vt, Homo animal eſt, Ergo non animal non homo eſt: & etiam in conſequentiis, vt, Si homo eſt, animal eſt, Ergo ſi non animal eſt, non homo eſt; quæ conſequentia dicitur, E contrario Alter modus in Contrariis, cùm contraria prædicata de contrariis vel oppoſitis prædicamus, vt, Prudentia eſt virtus, Ergo imprudentia eſt vitium, Virtus eſt amanda, Ergo vitium eſt odio habendum, Lumen delectat, Ergo tenebræ contriſtant; quæ conſequentia dicitur, In ipſo: cuius Maxima, *Sicut ſe habet propoſitum in propoſito, ita & oppoſitum in oppoſito,* vel, *Contraria de contrariis prædicantur.*

De Loco à Maiori.

Maius.

MAIVS, vocatur id, quod magis probabile, & verum videtur, vt, Maius eſt hominem vincere equum, quàm vincere leonem, hoc enim Minus eſt, id eſt minùs probabile, & minùs apparens verum.

Argum. à Maiori ad minus.

ARGVMENTAMVR à Maiori ad minus negatiuè tripliciter. Primò maiori & minori poſitis à parte ſubiecti, vt, Angelus non poteſt cogere voluntatem hominis, Ergo nec Dæmon. Maxima, Vno de duobus enunciato, ſi, cui magis videtur ineſſe, non ineſt, nec ei, cui minùs videtur ineſſe, inerit. Alter ex parte prædicati poſitis maiori & minori, vt, Homo non poteſt domare equum, Ergo nec poterit ſubiicere leonem. Maxima, Duobus de vno enunciatis, ſi, quod magis videtur ineſſe, non ineſt, nec id, quod minus. Tertius, ex parte vtriuſque extremi, vt, Rex non potuit expugnare caſtrum, Ergo nec Dux expugnabit vrbem. Maxima, Duobus de duobus enunciatis, ſi, quod alteri magis videbatur ineſſe, non fuit, Ergo nec alteri alterum, quod minus videtur, inerit. Horum trium Maxima communis eſt, *ſi quod magis videtur, non eſt verum, nec id, quod minus videtur, verum erit.*

A Mino

A Minori.

LOci à Minori ſunt tres, ſed affirmatiui. Primus ex parte ſubiecti, vt, Dux expulit hoſtes, Ergo Imperator expellet. Maxima. Duobus de vno enunciatis, ſi quod minus videtur, ineſt, & id, quod magis videtur, inerit. Secundus, ex parte prædicati, vt, Vicit leonem, Ergo vincet equum. Maxima, Duobus de vno enunciatis, ſi, quod minus videtur ineſſe, ineſt, & id, quod magis videtur, inerit. Tertius, ex parte vtriuſque, vt, Chriſtus pro nobis grauiſſima tulit tormenta Ergo & nos hæc modica ferre debemus. Maxima, *Duobus de duobus enunciatis, ſi, quod alteri minus videtur ineſſe, ineſt, & alterum, quod magis videtur, alteri inerit.* Communis Maxima, *Si, quod minus videtur, eſt verum, & id quod magis.*

Ex parte ſubiecti.

Ex parte prædicati.

Ex parte vtriuſque.

A Simili.

SImilia dicuntur, vel quæ aliquam formam eiuſdem rationis participant, vel quæ eandem inter ſe proportionem habent. V. g. Album albo ſimile eſt, & homo homini ſecundum formam, at dux & auriga ſimiles ſunt ſecundum proportionem. Vtroque autem modo valet argumentum affirmatiuè, & negatiuè, vt, Cygnus diſgregat viſum, Ergo & nix, Equus non eſt particeps rationis, Ergo nec leo.

Similia.

DEBEMVS autem ſumere ſimilitudinem in eo, ratione cuius prædicatum ineſt, aliter non valebit: non enim valet. Cygnus ſentit. Ergo & nix, quia quamuis ſimiletur in albedine, tamen albedo non eſt ratio, qua Cygnus ſentit. Similiter in ſimili ſecundum proportionem valet, vt, Sicut ſe habet ancilla ad dominam, ita ſenſus ad rationem, Sed non debet ancilla imperare dominæ, Ergo nec ſenſus rationi; Sicut ſe habet auriga in curru, ita dux in exercitu, Sed auriga attentè & cautè debet dirigere currum, Ergo & dux prudenter gubernare exercitum Maxima, *Similium & proportionalium idem eſt habendum iudicium.*

Similitudo vnde ſit ſumenda.

HVIC Loco aſcribitur à Pari, ſeu Aequali, vt lex eſt. Qui occiderit patrem, obuolutus corio deiiciatur in profluentem, Ergo & qui occiderit matrem eſt deiiciendus, quia par eſt peccatum, Etiam, ſunt oppoſita loca, nempe à Diſſimili & Diſpari, ſed eorum non eſt admodùm frequens vſus; quorum Maxima, *Diſſimilium, & Diſparium diuerſa eſt ratio.*

A pari, & æquali.

De Locis

De Locis aliis Extrinſecis. A Transmutata proportione.

CAP. IX.

Argum. à permutata proportione. PROPOSITIS quatuor terminis, duobus prioribus proportionem eam habentibus, quam tertius & quartus habent, eadem proportio primi & tertij, ſecundi & quarti colligitur. Atque tale argumentum, à Permutata proportione dici ſolet: quo argumentandi modo frequentiùs Arithmetici vti ſolent, vt, Sicut ſe habent duo ad quatuor, ita & ſex ad duodecim; eſt enim proportio dupla, ſcilicet maior numerus minorem bis continet; Ergo, ſicut ſe habent duo ad ſex, ita ſe habebunt quatuot ad duodecim; vtraque enim eſt tripla. Prętereà, Sicut ſe habet homo ad riſibile, ita equus ad hinnibile; in vtraque enim prædicatum de ſuo ſubiecto affirmatur; Ergo ſicut ſe habet homo ad equum, ita riſibile ad hinnibile; eſt enim vtraque prædicatio diſparata.

Ab Authoritate.

Ab authoritate. SOLET ab authoritate argumentum tantùm duci affirmatiuum, vt, Philoſophi docent elementa eſſe quatuor, Sunt igitur quatuor. Vocamus affirmatiuum, quando authoritatem affirmamus, quamuis id quod probamus ſit negatiuum, vt, Philoſophi docent cœlum non eſſe corruptibile, Cœlum igitur non eſt corruptibile. In hoc Loco eſt latitudo probabilitatis, ſecundum maiorem vel minorem authoritatem. Maxima, *Experto cuique in ſua arte credendum eſt.*

Authoritas ſcripturarum. SVPER omnes authoritates eſt diuina Eccleſiæ reuelata, cui ſecundum fidem Catholicam aſſentire tenemur: certior enim eſt quacunque ſcientia.

A Tranſumptione.

Tranſumptio. TRANSVMPTIO, eſt cùm loco nominis ignoti, aliud idē notius ſignificans ſumimus; vt, Non eſt ſapientis quicquam inconſideratè proferre, Ergo nec prudentis: & valet affirmatiuè & negatiuè. Eſt etiam Trāſumptio, cùm aliquid de aliquo probaturi, ad aliud probandum nos transferimus, vel propter ſimilitudinem cum illo, vel propter cōſenſum diſputantium: vt, ſi quis virtutem multùm poſſe contenderet, ad id de Iuſtitia probandum ſe transferret ex conſenſu reſpondentis; vel probaturus equum hinnibilem, hominem riſibilem, probaret, quod alteri ſimile eſt. Et quamuis ſic communiter dici ſolet, videtur etiam poſſe dici, Locum à Tranſumptione eſſe à Tranſlatione, nimirū cùm metaphoris res probamus,

& hoc tam affirmatiuè, quàm negatiuè, vt, Leo rugiens eſt timendus, Ergo & Diabolus, Paterfamiliàs eſt amandus & venerandus, Ergo & Deus, Cani non eſt fidendum, Ergo nec aſſentatori.

De locis Mediis.

CAP. X.

LOCI Medij ſunt, à quibus argumenta, quæ nec prorſus extranea, nec prorſus intranea rei ſunt, extrahuntur, vt in ipſorum explanatione patebit, quamuis Cicero cum aliis ad numerauerit. Parùm autem refert ab aliis ſecernere, vel cum aliis computare, dummodò ipſorum recta explicatio & vſus tradatur. *Loci Medij.*

A Coniugatis.

CONIVGATA dicuntur, quæ ſe habent ſicut abſtractum & concretum, vt, album, & albedo, iuſtum, & iuſtitia. *Coniugata.*

EST Primus Locus argumentandi in his, prædicando aliquid denotans bonum, vel malum, tam affirmatiuè, quàm negatiuè, vt, Sanctum eſt obedire, Ergo ſancta eſt obedientia, Diuitem eſſe non eſt optimum, Ergo diuitiæ non ſunt optimum bonum. Alter modus eſt, ſubiiciendo & prædicando in propoſitionibus eſſentialibus, vt, Album eſt coloratum: Ergo albedo eſt color. In iis verò quæ per accidens ſunt, non valet: non enim ſequitur, Album eſt dulce, Ergo albedo eſt dulcedo. *Argumẽtandi modi.*

A Caſibus.

CASVS, ſunt plura denominatiua inter ſe ab eadem forma inflexa, vt, Sapiens, ſapienter, iuſtum, iuſtè. *Caſus.*

IN his valet etiam affirmatiuè, & negatiuè argumentum, vt, Iuſtum eſt bonum, Ergo quod iuſtè fit, benè fit, Sapientem eſſe optandum eſt, Ergo ſapienter agere optandum eſt. *Argum.*

A Comparatione.

A COMPARATIVO ad Poſitiuum valet argumentum affirmatiuè, quando abſoluta eſt Comparatio, vt, Leo eſt fortior homine, Ergo leo eſt fortis. Aliquando non eſt Comparatio abſoluta, ſed relatiua, quomodò vocamus dulcius, minùs amarum, & melius, minùs malum, & tunc argumentum non valet. *A Comparatiuo ad Poſitiuũ.* *A Poſitiuo.*

A Poſitiuo verò valet negatiuè ſumpta adhuc Comparatione abſoluta, vt, Formica non eſt fortis, Ergo non eſt leone fortior. In his omnibus Maximæ notæ ſunt. *A Poſit. Comp. Superl. ex vtroque extremo.*

VALET etiam argumẽtũ ex parte vtriuſq; extremi à Poſitiuis, Cõparatiuis, & Superlatiuis, vt, Obedire ſanctũ eſt, Ergo

magis obedire ſanctius eſt, & maximè obedire ſanctiſſimum eſt. Hoc autem non valet in iis quæ per accidens ſunt: non enim valet, Sciens eſt ſtudioſus, Ergo ſapientior eſt ſtudioſior: non enim virtus cum ſcientia per ſe coniuncta eſt, quin poſſint ſeparari, propterea in ſimilibus iſtis non valet. Maxima, Si aliquid tale eſt, & quod magis eſt, magis tale erit.

Ab Appoſitione.

EX Maxima Locus hic notus ſit, Si aliquid alicui admotũ ipſum facit tale, & ipſum magis erit tale, vel ipſum ſaltem erit tale, vt, Paries eſt albus propter calcem, Ergo & calx eſt alba; Theophraſtus eſt factus doctus, quia audiuit Ariſtote-

Quando valeat. lem, Ergo & Ariſtoteles fuit doctus. Hic modus non valet, niſi quando ſubiectum poteſt recipere tale prædicatum: non enim dices. Nix eſt alba propter albedinem, Ergo albedo eſt alba, quia albedo non eſt aptum ſubiectum ipſius albi. Valet tamen, Diligo hominem propter Deum; Ergo magis diligo Deum. Maxima etiam, propter quod vnumquodque tale, & id magis quando poteſt tale eſſe, id eſt, idem recipere prædicatum.

A Diuiſione. SVPERERAT Locus vltimus à Diuiſione, ſed in 1. lib. de eo, & ipſius Maximis diximus.

Epilogus de Loc. HI ſunt præcipui loci quos adoleſcentes exercere erit vtile ante Ariſt. copioſam, & exactam doctrinam.

De Syllogiſmorum fallaciis & erroribus.

De Syllogiſmo vitioſo.

CAP. XI.

Syllogiſmi vitiũ duplex CVM Syllogiſmi perfectio in recta forma & recta Materia conſiſtat, rerúmque imperfectio ex eorum, quæ ad perfectionem neceſſaria ſunt, defectu cõſurgat, fit vt in Syllogiſmo multiplex vitium, & error contingat.

1. In Forma.

EST enim quidam error in Forma, quando non ſit ea propoſitionum diſpoſitio, quæ in lib. 4. præſcripta eſt: quomodo

2. In materia. iſte vitioſus eſt, Omnis prudentia eſt virtus, Omnis temperantia eſt virtus, ergo Omnis temperantia eſt prudentia: Forma enim non eſt bona, cùm ſit in ſecunda figura vtraque affirmatiua, quamuis Materia recta ſit Vitium hoc ſimile eſt veſti ex bono panno, malè conſtructæ.

Duplex vitium in Materia.

1 Cum non neceſſaria pro neceſſaria vtimur. ALTER contingit error in Materia, cũ forma quidẽ bona eſt, ſed materia inepta, & mala: quod dupliciter accidit, Primò, cũ Materia, quę nõ eſt neceſſaria, vtimur ac ſi eſſet neceſſaria, contendentes ex ea Demonſtrationem facere: vt qui ſic

Syllo

Syllogiſmum faceret, Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto in idem punctum ſunt æquales, Linea recta, nempe chorda & linea arcus, ſunt ductæ ab eodẽ puncto in idem, Ergo illæ ſunt æquales; cõſtat malam Materiam eſſe, cùm illa Maior ſit falſa, & aſſumatur pro neceſſaria propter ſimilitudinem quam habet cum neceſſaria: nam vera, & neceſſaria iſta erat, Omnes lineæ rectæ ductæ ab eodem puncto in idem punctum ſunt æquales. Hoc vitium eſt contra Demonſtrationem.

ALTERO modo peccatur in Materia, cùm id, quod non eſt probabile, ſed tantùm apparens, ſumitur ac ſi eſſet probabile, vt, Omne quod ridet habet os, Prata rident, Ergo prata habent os: vbi illa Minor apparet probabilis propter æquiuocationem illius verbi, ridet, & tamen non eſt probabilis. Tale vitium eſt contra Dialecticum Syllogiſmum, ſimile veſti ex vili panno rectè conſtructæ. *2. Cum apparens probabile.*

TERTIVS euenit error in vtroq; ſimul, nempe in Forma, & Materia, vt, Quod mouetur eſt ſenſibile, Cadauer mouetur, ergo Cadauer eſt ſenſibile: Forma enim huius vitioſa eſt, cùm ſit ex particularibus: Materia etiã apparens eſt, ex æquiuocatione verbi, mouetur, nam aliquando pro motu locali, aliquando pro alteratione, & etiam pro argumentatione ſumitur. Licèt igitur error tripliciter cõtingat, vel in Forma, vel in Materia ſiue Neceſſaria, ſiue Probabili, vel in Materia & Forma, frequentiùs tamen in Materia Probabili, errores accidũt, cùm amplior ſit, & communior, ac etiam imperfectior ſit, ac propterea error in ea non ita facilè percipitur. *3. Syllogiſmi vitium in Materia ſimul & Forma.*

EX his accidit, vt Syllogiſmus, qui eſt inſtrumentum cognitionis, & ſcientiæ, ſit erroris & deceptionis cauſa: quod cuilibet inſtrumento commune eſt; rectè enim adaptatus calamus bene ſcribit ac characteres delineat, ſi tamen non rectè aptetur, maculas potiùs chartę imprimit. Tali Syllogiſmo vtuntur qui alios decipere conantur, & qui ſe potiùs videri ſapientes, quàm eſſe ſtudent, dicti Sophiſtæ, à quibus etiam Syllogiſmus talis Sophiſticus eſt nuncupatus: cuius errores diſtinctè aperire oportet, non vt eis vtamur alios decipientes, ſed vt ab eis caueamus, & ſimilibus hominibus nos eripere valeamus. *Syllogiſmus vitioſus, erroris cauſa.* *Sophiſtæ. Syllogiſmus Sophiſticus.*

De Metis, ad quas Sophiſtæ conantur diſputantes redigere.

CAP. XII.

META, eſt ſcopus & finis, ad quẽ Sophiſta fallaci argumẽto reſpõdentem redigere ſtudet, vt ex tali Meta eius vi- *Meta.*

 ctoriam

Meta Sophiſtarum, quinque. ctoriam conſecutum eſſe circunſtantibus appareat. Sunt autem hæ quinque, Redargutio, Falſum, Inopinabile, Solœciſmus, Nugatio: de quarum ſingulis breuiter eſt dicendum.

De Redargutionis Meta.

Redargutio, ſeu Elenchus. REDARGVTIO, eſt prænegati conceſſio, vel præconceſſi negatio in eadem diſputatione, vi argumenti fallacis, id eſt, quotieſcunque cogitur reſpondens concedere in eadem diſputatione contradictorium eius, quod antè conceſſerat, propter argumenti Fallaciam. Ac talis Syllogiſmus, fallaciter probans contradictorium conceſſi, dicitur Sophiſticus Elenchus: quoties enim ſine Fallacia probatur contradictorium, Verus Elenchus dicitur. *Sophiſticus Elenchus. Verus Elenchus.* Ponitur, in eadem diſputatione: quia ſi reſpondens admittat id, cuius oppoſitum in aliis diſputationibus præcedentibus tantum defenderit, non eſt Redargutio, niſi id in præſenti diſputatione ſuſceperit. Dicitur, vi argumenti: quia quando vocibus & importunitate verborum ſola, vel alia cauſa reſpondens amittit contradictorium, non eſt Redargutio. V. g. ſuſtinet quis dormientes non videre, fit Syllogiſmus Sophiſticus, Omne viſum habens, videt, Omnes dormientes viſum habent, ergo Omnes dormientes vident: cogitur vi Syllogiſmi, qui a Fallaciam illius nominis, viſus, ignorat concedere concluſionem, tunc redactus eſt ad Metam Redargutionis & contradictionis.

De Meta Falſi.

Falſum. FALSVM, vocatur id, quod omnibus circunſtantibus cognitum eſt tanquam falſum, & re ipſa falſum eſt: & ad id conatur redigere Sophiſta reſpondentem, vt, Homo habet quod non amiſit, Non amiſit alas, Ergo habet alas.

De Meta Inopinabilis.

Inopinabile, ſeu Paradoxon. INOPINABILE, eſt id, quod contra circunſtantium opinionem eſt, ſiue ipſum ſit verum, ſiue falſum: ad quod Sophiſta redigere conatur reſpondentem, vt ſaltem apud aſtantes victoriam de eo habuiſſe videatur: vt ſi coram ruſticis Solem maiorem terra cogeret concedere, hi enim ſicut molarē lapidem eſſe exiſtimant. Similiter ſi coram hominibus vitiis deditis regem poſſe infœlicem eſſe conuinceret.

De Meta Solœciſmi.

Solœciſmus. SOLOECISMVS, eſt vitiū in orationis cōtextu contra regulas Grāmaticas; ad quē Sophiſta etiam reſpondentē redigit: nullam enim nō intentat viam, qua doctus appareat, & gloriam ab aduerſario aucupetur. Verbi gratia, Omnis homo

eſt

eſt ſtudioſus ſcientiæ, Omnis mulier eſt homo, ergo Omnis mulier eſt ſtudioſus ſcientiæ. Cogit enim vi Syllogiſmi apparentis, ſolœciſmum hunc concluſionis admitti.

De Meta Nugationis.

NVGATIO, eſt eiuſdem, & ex eadẽ parte inutilis repetitio. Dicitur, eiuſdem repetitio: quia niſi idem repetatur, Nugatio non eſt. Dicitur, ex eadem parte: quia ſi idem in diuerſis propoſitionibus eiuſdem Syllogiſmi repetatur, Nugatio non eſt. Dicitur, inutilis: quia aliquando repetitio, Nugatio non eſt, cùm aliquid peculiariter in repetitione denotatur, vt virgo virginum, ſanctus ſanctorum. Ad Nugationem autem Sophiſta redigit aliquando, vt irrideatur reſpondens à circunſtantibus. vt ſi dicat, Omne ſimum eſt naſus ſimus, Aliquis naſus eſt ſimus, Ergo aliquis naſus eſt naſus ſimus. *Nugatio.*

HAE omnes Metæ ſub vna vniuerſali includuntur, quę dicitur. Non ens, id eſt, quoties reſpondens cogitur id concedere, quod non eſt, vel non apparet eſſe, vt conuincatur erroris, & ignorantiæ, quæ circa Non ens verſatur, & Sophiſta ex hoc ſapiens videatur: propterea has Fallacias, quibus decipere conatur, ſingulas oſtendamus. *Meta vniuerſalis, Nõ entis.*

De Fallacia in communi.

CAP. XIII.

FALLACIA non vno modo tantùm dicitur: aliquãdo enim & pro errore, & deceptione ex ipſo argumento Sophiſtico proueniente ſumitur: aliquando pro ipſomet argumento & Loco, & vtroque modo in præſenti vſurpatur. Eſt autem aduertendum, quemadmodùm Dialectici ex ſuis Locis argumenta verè deducentes, probabiliter argumentantur, ac opinionem rerum faciunt, ita & Sophiſtæ ex eiſdem locis ſæpe apparenter argumenta extrahentes, & non quidem verè. deceptionem faciunt, vt enim Dialecticus argumentatur à ſuperiori vniuerſaliter ad inferius, ſcilicet, Omne animal ſentit, Omnis homo eſt animal, ergo Omnis homo ſentit, ita Sophiſta argumentatur in apparenti vniuerſali, Omnis canis latrat, Sydus cœleſte eſt canis, ergo Sydus cœleſte latrat. *Fallacia polyſimia & quomodo hîc accipiatur.*

PROPTEREA in Fallacia qualibet duo concurrũt. Alterum illa ſimilitudo apparentis Loci ad verũ, quæ mouet intellectũ ſeu imaginationem ad errorem, & deceptionis eſt occaſio: & hoc dicitur Cauſa Apparentiæ. Alterum diſſimilitudo, & differentia vera, quæ eſt inter vnum, & alterum argumentandi modum, quod dicitur Cauſa non exiſtentiæ: vt in illo argumento, Cauſa apparentiæ eſt vox, canis, quæ ſimulatur ſuperiori, *In Fallacia duo cõcurrunt. Cauſa apparentiæ, Cauſa non exiſtentiæ.*

riori,& vniuerſali,Cauſa verò non exiſtentię eſt eius ęquiuocatio,ratione cuius non eſt vniuerſale,quamuis appareat.

Fallaciarum duplex diſtinctio iuxta Cauſa apparentia. In dictione. Extra dictionem. In dictione Fallaciæ ſex.

Ivxta has Apparētię cauſas diſtinguuntur fallacię dupliciter:quædam dicuntur,In dictione, illæ nempè quæ ſuæ apparentiæ cauſam in ipſis dictionibus & vocibus habent:quædam Extra dictionem,quæ Cauſam apparentiæ non in vocibus,ſed in rebus per vocem ſignificatis habent.

De iis igitur,quæ In dictione ſunt,primò diſſeramus,quæ ſunt ſex tantùm, Aequiuocatio, Amphibologia, Accentus, Compoſitio,Diuiſio,Figura dictionis.

De Fallaciis In dictione.

De fallacia Aequiuocationis.

CAP. XIIII.

Aequiuocatio.

Aeqvivocationis Fallacia,eſt error,& deceptio,proueniens ex vnitate vocis plura ſignificantis. Cauſa apparentiæ, eſt vnitas vocis, quia aſſimilatur voci vniuocæ, ac propterea exiſtimatur idem eſſe iudicium de vtraque. Cauſa non exiſtentiæ, eſt diſſimilitudo & pluralitas ſignificatorum, quæ in hac inuenitur.

Aequiuocationis ſpecies tres.

Hvivs Fallaciæ triplex eſt ſpecies. Prima, quando vox ſimpliciter eſt æquiuoca, ex qua fit Syllogiſmus Sophiſticus, vt, Omne corpus eſt ſubſtantia, Trina dimenſio eſt corpus,

1. ergo Trina dimenſio eſt ſubſtantia: in hoc eſt æquiuocatio corporis,quod aliquando compoſitam ſubſtantiam,aliquando trinam dimenſionem ſignificat,quæ quantitas eſt.

2. Secvnda ſpecies eſt, cùm vox eſt analoga, vt, Omne quod currit,pedes habet,Tyberis currit, Ergo Tyberis habet pedes, Quod ridet habet os, Pratum ridet, ergo Pratum habet os.

3. Tertia ſpecies,cùm variatur ampliatio vel genus, aut alia proprietas Grammaticalis, vt, Omne animal eſt coloratum, Mulier eſt animal, Ergo eſt coloratum. Quod ſurgebat ſtat,Sedens ſurgebat,Ergo ſedens ſtat.

De Fallacia Amphibologiæ.

Amphibologia.

Amphibologiae fallacia, eſt error proueniēs ex vnitate orationis plures patiētis ſenſus:cui᾽ Cauſa apparētiæ eſt vnitas orationis, Cauſa verò nō exiſtētiæ, eſt ipſa ſenſuū multiplicitas,vt,Quicqd eſt Ariſtotelis, poſſidetur ab Ariſtotele,

tele. Hæc eſt Logica Ariſtotelis, Ergo hæc Logica poſſidetur ab ipſo. Hîc varium ille genitiuus ſenſum facit: nam ſignificat habitudinem poſſidentis, & rei poſſeſſæ, ſimiliter & ordinem cauſæ & effectus. Et hæc eſt vna ſpecies ipſius, quando nempe eadem manet orationis conſtructio. *Amphibol. ſpecies tres.* 1

Altera ſpecies eſt, quando mutatur conſtructio, vt quādo caſus mutatur, ſicut, Quodcunque vides, hoc vides, Sed lignum vides, Ergo ligno vides, illud enim, hoc, mutat ſenſum, ſi in ablatiuo, aut ſi in accuſatiuo conſtruatur, vel etiam quādo id, in quod tranſit actio verbi, mutatur in ſuppoſitum, vt, Quoſcunque volo me accipere, volo me accipiant, Sed hoſtes volo me accipere, Ergo hoſtes volo me accipiant: hic enim modò oppoſitum in ſuppoſitum, modò ſuppoſitum in oppoſitum conuertitur. 2

Tertia ſpecies, quādo vna oratio plura ſignificat, ſed vnū principaliter, alterū ſimilitudine quadam, vt, Quoties littus aratur, terra ſcinditur, Cùm in docilis docetur, littus aratur, ergo Cùm indocilis docetur, terra ſcinditur, illa enim oratio, littus aratur, principaliter ſignificat, littus aratro ſcindi, quadam ſimilitudine verò ſignificat fruſtrà quicquam agere. 3

De Fallacia Accentus.

Error iſte prouenit, cùm aliqua dictio varia ſignificat ex diuerſa pronunciatione ſpiritus quātitatis, vel accentus, vt, Quicquid hamatur, hamo capitur, Vinum amatur, ergo vinum hamo capitur. Omnis populus eſt arbor, Roma eſt populus, ergo Roma eſt arbor: dictio. n populus, ex varia quantitate primæ ſyllabæ varia ſignificat. *Fallacia Accentus quatuor modi.* 1

Prouenit etiam iſte error, quando ſeparatur vna dictio in plures, vel ex pluribus fit vna: Sic, Quod Deus facit inuitè, facit coactè. Racemos Deus facit in vite, ergo Racemos facit coactè, eſt deceptio: nam ſunt duæ partes in Minori, nempe præpoſitio, in, & ablatiuus, vite: in Maiori autem eſt vna dictio, nempe aduerbium. Similiter, Tu es qui es, Quies eſt priuatio motus, ergo Tu es priuatio motus. 2

Prouenit etiam tertiò hæc Fallacia, quando cum pronūciatione mutatur geſtus, quod fit in ironiis: mutatur enim ſenſus per ironicam pronunciationem, vt, Quicunque alterū vocat album, ipſum dicit eſſe album, Sed pueri Aethiopem vocant album, Ergo pueri dicunt ipſum eſſe album. 3

Tandem fit iſta deceptio cùm mutatur diphthongus, vt, Quicunque deſiderat æquum, deſiderat iuſtum, Sed qui 4

deſiderat equitare, equum deſiderat, Ergo qui deſiderat equitare, deſiderat iuſtum.

De Fallacia Compoſitionis, & Diuiſionis.

TRia circa Fallacias has ſpeculari oportet. Primum, quid Compoſitio, & quid Diuiſio ſit. Secundum, quid Compoſitionis Fallac a, & quid etiam Diuiſionis Fallacia. Tertiò, quot harum ſpecies.

Compoſitionis & Diuiſionis multiplex acceptio.

COMPOSITIO igitur & Diuiſio non vno modo dicuntur. Primò enim Compoſitio eſt, quoties ſignificatio vnius termini applicatur integræ ſignificationi alterius: vt ſi dicas, Album poteſt eſſe nigrum, ſi ſenſus ſit, albo ipſi, nempe corpo-
1 ri, cum albedine ſimul accidere nigrum, Compoſitio eſt. Sic autem fit Diuiſio, cùm non integræ, ſed parti ſignificationis, alterius ſignificatio applicatur: vt ſi in eadem propoſitione fiat ſenſus, Illud corpus quod album eſt, nigrum poteſt eſſe, non tamen ſimul cum albedine, Diuiſio eſt.

2 FIT etiam altero modo Compoſitio, & Diuiſio, cùm vna dictio poteſt conſtrui cum variis dictionibus in eadem oratione: ſi autem cum vna conſtruatur, facit vnum ſenſum, ſi verò cum altera, facit alterum ſenſum. Et in hoc talis oratio differt ab Amphibologia, in qua eadem ſeruatur dictionum constructio: vt, Quicquid viuit ſemper erit, dictio, ſemper, poteſt cõſtrui cum verbo, viuit, & ſenſum facit verum: poteſt etiam conſtrui cum verbo, erit, & ſenſum facit falſum. Tunc conſtruere talem dictionem cum ea, cum qua magis apparet conſtrui, Compoſitio eſt, vt coniungere cum verbo, viuit: at coniungere cum eo, cum quo minùs coniungi apparet, Diuiſio eſt, vt ſi conſtruantur cum illo verbo, erit: & in hoc pronunciationem, & loquendi phraſim oportebit conſiderare.

3 FIVNT etiam Compoſitio & Diuiſio tertio modo, vt dicemus in earum ſpeciebus.

Fallacia Compoſitionis & Diuiſionis.

CIRCA ſecundum, Fallacia Compoſitionis & Diuiſionis fit, cùm in conſequentia aliqua datur Antecedens verum, & Conſequẽs falſum, eò quòd diuiſum ſenſum in compoſitum vel compoſitum, in diuiſum mutamus: non enim licet hos mutare.

Fallacia Compoſitionis.

TVNC autem fit Compoſitionis Fallacia peculiariter, cùm Conſequens falſum, quod ſequebatur ex ſenſu cõpoſito falſo in Antecedenti, attribuimus eidem Antecedenti in ſenſu diuiſo vero; vel cùm concluſionem, quæ ſequabatur in ſenſu

diuiſo vera, ſumimus in ſenſu compoſito falſam. Exemplum prioris, Omnia quinque ſunt duo & tria, Quinarius non eſt duo & tria, ergo Quinarius non eſt quinque. In hoc Syllogiſmo concluſio eſt falſa, & ſequitur ex Antecedenti compoſito falſo: nam illa Minor falſa eſt, ſi prædicatum compoſitè & copulatim teneatur. Eſſet autem vera, ſi diuiſiuè teneretur: facit enim ſenſum, Quinarius non eſt duo, & quinarius non eſt tria, è contrà Maior diuiſa eſt falſa, compoſita vera, tunc eſſet Fallacia Compoſitionis velle tribuere falſitatem concluſionis veritati Minoris diuiſæ, cùm tamen ex ea non ſequatur. Exemplum poſterioris, Omnem hominem ſcribere eſt poſſibile, Aliqui non ſcribentes ſunt homines, ergo Non ſcribentes ſcribere eſt poſſibile. In hoc Antecedens eſt verum, & ex eo concluſio ſequitur vera in ſenſu diuiſo, falſa tamen in compoſito, tunc eſt fallacia Compoſitionis: in ſenſu enim compoſito falſo ſumimus, quod non ſequitur, niſi in ſenſu diuiſo vero.

Fallacia Diuiſionis.

EST autem Fallacia Diuiſionis è cõuerſo, cùm ſenſus compoſitus eſt verus, & diuiſus falſus, & attribuimus cõcluſionis falſitatem ſenſui compoſito vero in Antecedenti, ex quo non ſequebatur; vel ipſam cõcluſionem in ſenſu diuiſo ſumimus, quæ tamen erat compoſitè ſumenda: vt in Maiori illius Syllogiſmi, Omnia quinque ſunt duo & tria, Quinarius non eſt duo & tria, ergo Quinarius non eſt quinque, Maior diuiſa falſa eſt, compoſita vera. Eſt autem Fallacia Diuiſionis, illi compoſitæ tribuere concluſionis falſitatem, cùm non niſi ex diuiſa ſequatur. Et hæc òmnia clariora fient in ipſis Compoſitionis & Diuiſionis ſpeciebus.

Compoſitionis & diuiſionis ſpecies tres.

SVNT enim tres. Prima fit inter terminos, quorum alter poteſt ſignificationem ſuam integræ alterius ſignificationi applicare, nempe materiali & formali, poteſt etiam parti ſignificationis ſoli, putà materiali, applicare: vt, Omnes homines eſſe ſenes poſſibile eſt, Iuuenes ſunt homines, ergo Iuuenes eſſe ſenes poſſibile eſt, eſt Fallacia Compoſitionis, ſi concluſionem in ſenſu compoſito ſumamus; non enim inferebatur, niſi in ſenſu diuiſo: at ſi dicas, Iuuenes eſſe ſenes eſt impoſſibile, Homines ſunt Iuuenes, ergo Homines eſſe ſenes impoſſibile eſt. concluſio eſt falſa, & Maior in ſenſu diuiſo, ex qua concluſio ſequitur; in ſenſu vero compoſito eſt vera, & attribuere ei falſitatem concluſionis, eſt Fallacia Diuiſionis, quia, quod ex diuiſa ſequitur, attribuimus compoſitæ. 1

ALTERA ſpecies harum Fallaciarum eſt, cùm eſt 2.

aliquod complexum, quod diuiſiuè, & copulatim ſumi poteſt, ratione cuius mutatur ſenſus, vt ſuperiùs diximus: ſimiliter de complexo diſiunctiuo, vel diſiunctiuo, vt, Omne animal eſt rationale, vel irrationale, Sed non omne animal eſt rationale, ergo Omne animal eſt irrationale, eſt quidem Diuiſionis Fallacia in Maiori, quæ poteſt ſenſum diſiunctum facere, & ſic eſt vera. eſt enim propoſitio categorica, cuius ſenſus eſt, de quolibet animali per ſe eſſe verum enunciare hoc, ſcilicet eſſe rationale vel irrationale, & ſic non infertur concluſio illa, poteſt diſiunctiuè ſumi, & ſic eſt diuiſa falſa, facit enim ſenſum, Omne animal eſt rationale, vel Omne animal eſt irrationale, & ex ea talis concluſio etiam falſa ſequitur, Fallacia conſiſtit in eo, quod tribuimus Maiori compoſitæ veræ, quod non ſequitur, niſi ex ea diuiſa falſa Fit oppoſito modo Fallacia Compoſitionis, cùm ſenſus compoſitus eſt falſus, diuiſus verus.

3 TERTIA ſpecies eſt, cùm aliquam dictionem cum variis conſtruimus, propter quod mutatur ſenſus: vt, Quicquid viuit ſemper erit, Equus viuit, Ergo equus ſemper erit, concluſio falſa, & Maior in ſenſu diuiſo falſa, nempè ſi dictio, ſemper, coniungatur cum verbo, erit, & ſic procedit concluſio: at ſi iungatur cum verbo, viuit, eſt Compoſitio, & vera. Similiter, Quancunque imaginem auream habentem veſtem vidi, ipſa eſt ex auro, Sed ligneam imaginem vidi habentem veſtem auream, Ergo imago lignea eſt ex auro, concluſio eſt falſa, & etiam Maior diuiſa, nempe ſi illa dictio, auream, iungatur cum, veſti: ſic enim ex ea infertur concluſio. At ſi compoſita ſumatur, eſt vera, nempe ſi iungatur cum imagine: ac propterea eſt Fallacia Diuiſionis concluſionem tribuere compoſitæ.

De Fallacia Figuræ dictionis.

Fallacia Figuræ dictionis. FALLACIA hæc accidit cùm ex ſimilitudine duarum dictionum inter ſe accidentali, colligimus ſimilitudinem ſignificatorum.

1 QVOD primò euenit, cùm dictio vnius generis Grammaticalis exiſtimatur eſſe alterius generis propter ſimilem deſinentiam, vt qui Poëtam concederet eſſe doctam ſicut Muſam, quia Muſa eſt fœmineum nomen, & qui Euſtochium concederet eſſe ſanctum, quia finitur in vm, ſicut templum.

ALTERO

ALTERO modo euenit, cùm nomē vnius prædicamēti ſumimus pro altero prædicamento:vt, Quicquid hodie emiſti, modò comediſti, Carnes crudas hodie emiſti, ergo Carnes crudas modò comediſti,eſt figura dictionis, quia, quicquid, ſignificat ſubſtantiam,crudum verò,qualitatem. 2.

EVENIT etiam, cùm Simplicēm ſuppoſitionem in perſonalem,vel è contrà mutamus,vt,Homo eſt ſpecies,Iulius eſt homo,ergo Iulius eſt ſpecies, cùm præſertim hoc ſit in indiuiduo,& vniuerſali:nam hic videtur mutari modus cùm vniuerſale quale quid,indiuiduum hoc aliquid ſignificat. 3.

De Fallaciis Extra dictionem.

De Fallacia Accidentis.

CAP. XV.

QVo faciliùs hæc Fallacia intelligatur, (eſt enim admodùm communis) notandum eſt, aliqua quadrupliciter vnum quid eſſe poſſe. *Vnius quadruplex acceptio.*

PRIMO, dicuntur ea vnum quæ vnum prorſus ſignificant quamuis ſub diuerſis nominibus aut modis diuerſis: quo pacto duo ſynonyma vnum dicuntur, ſimiliter definitum & ipſius definitio: illa tamen in voce differunt,hæc verò in ſignificandi modo,cùm definitum confusè, definitio eandem explicitè dicat. 1.

ALTERO modo, quædam dicuntur vnum, quæ cùm non eandem naturam ſignificent, vnum tamen eſt de eſſentia alterius, ſicut genus, vel differentia idem ſunt cum ſpecie, & ſpecies cum indiuiduo, putà homo & animal,homo & rationale,& homo & Iulius. 2.

TERTIO, quædam alia dicuntur vnum minori vnitate, quorum vnum eſt alterius proprium, putà homo & riſibile, non tamen riſibile eſt de eſſentia hominis. 3.

TANDEM, quædam alia dicuntur vnum, quorum vnum alterum claudit tanquam accidens,vt homo,& album. 4.

ISTA quatuor non ita vnum ſunt,quin aliqua inter ea differentia inueniatur, nec ita ſunt diuerſa, quin etiam aliquo modo vnum ſint:ex quo fit,quòd aliqua, quæ vni tribuimus, etiam alteri damus, aliqua verò vni applicamus, quæ alteri nō concedimus;dicimus enim album, coloratum,& currere, & ſedere, quæ etiam de homine albo prædicamus: at album eſſe accidens, colorem, qualitatem dicimus, quæ de homine non enunciamus,Et in vniuerſum eſt Regula, Omnia ea, quæ vni conueniunt ſecundum id, in quo ab altero differt, *Conueniētia & differentia Vnius multipliciter ſumpti.*

remo

remouenda ſunt ab altero,cętera verò concedenda ſimul,aut neganda. Verbi gratia, album dicitur currere ratione ipſius ſubiecti,corpus enim albedinem habens dicitur currere.Prę-tereà album dicitur accidens ratione formæ,in qua cum ſubiecto non eſt idem , non prædicabitur ergo accidens de corpore.

Fallacia Accidentis.

Ex his nota eſt Fallacia Accidentis,quæ fit quoties tribuimus vni omnia,quę tribuimus alteri,quæ tamen non illi,qua parte cum altero vnum eſt,conueniunt,exiſtimantes propter identitatem, & vnitatem id licere : quo defectu peccant omnes hi Syllogiſmi,& conſequentiæ, Homo eſt riſibilis : Riſibile eſt proprium , Ergo homo eſt proprium ; Enſis eſt gladius , Gladius eſt ſecundæ declinationis , ergo Enſis eſt ſecundæ declinationis;Petrus eſt homo,Homo eſt ſpecies, ergo Petrus eſt ſpecies: & in vniuerſum quoties ſuppoſitio variatur , ſicut quando procedimus ex puris particularibus ex maiori particulari in 1. Figura, ex puris affirmatiuis in 2. Figura , & ſimilia. Similiter quoties appellationem mutamus, vel ex diuiſis ad coniuncta, vel è contrà procedimus , vt, Video Corruſcum,& Corruſcus eſt veniẽs,Ergo video venientem;Hic canis eſt pater , Et hic canis eſt tuus , Ergo eſt pater tuus ; Puer hic eſt magnus Logicus , Ergo eſt magnus , & eſt Logicus. Similiter quoties à genere , ſeu à ſuperiori ad inferius abſque vniuerſalitate , vel ab inferiori ad ſuperius vniuerſaliter procedimus, vt , Animal eſt album,Ergo homo eſt albus;vel,Omnis homo eſt riſibilis,Ergo omne animal eſt riſibile:de quibus in Locis à Toto diximus. Nec mireris ſi Fallacia Suppoſitionis hìc collocetur,& in figura dictionis,cùm diuerſis rationibus vitium vnum ad duas ſpecies Fallaciarum referatur:illic enim Figura dictionis,hìc vnitas extremorum conſideratur.

De Fallacia ſecundum quid,& ſimpliciter.

Fallacia ſecundum quid vnde procedat. Adiecta ad iecta, ſeu dicta ſecũdum quid.

FALLACIA iſta ex ſimilitudine Loci à Toto in modo procedit : erat enim Totũ in modo, dictio reſpectu ſuiipſius cum aliquo adiecto ſumpta,quod dicebatur Pars in modo,vt homo, & homo albus. Valebit autem à parte ad totum , & è contrà,vt illic explicuimus.

SVNT autẽ aliqua adiecta,quæ diminuunt ſignificationem totius cui iunguntur, vel eam diſtrahunt,& alienant: & talia non Totum in modo, aut Pars , ſed Dicta ſecundum quid

nuncu

nuncupantur, vt, homo mortuus, album ſecundum dentes, & ſimilia. Quæ autem adiecta diſtrahant, ex iis quæ in 2. lib. de Alienatione diximus, facile eſt videre. At ea dicuntur diminuere, quando cum eis ita prædicatum, vel ſubiectum cum aliquo copulatur, vt eis ſemotis oppoſitum enuncietur. V.g. Aethiops ſecundum dentes albus dicitur, ablato verò illo adiecto, ſecundum dentes, niger, vel non albus dicetur, niſi ſubiectum alia ratione eſſet album: vt, Homo ſecundum dentes eſt albus, ſi ille etiam ſecundum totum ſe albus eſſet, adhuc albus diceretur, ſed non ex virtute, & ratione illius adiecti.

Adiecta diſtrahentia.

Adiecta diminuentia.

Est igitur Fallacia talibus Dictis ſecundum quid, ad ipſa abſolutè ſumpta, vel è contrà tam affirmatiuè, quàm negatiuè argumentari, vt in ipſis huius fallaciæ modis comperietur.

Fallacia ſecundum quid.

Eius modi.

1. Est primus modus, à dicto diminuente ſecundum locum: non enim valet, Non licet prandere in templo, Ergo non licet prandere; Licet in mari non audire ſacrum, Ergo licet non audire ſacrum, non valet.

2. Secvndvs modus, à dicto diminuente ſecundum tempus: non enim ſequitur, Non eſt licitum diebus Veneris veſci carnibus, Ergo non eſt licitum veſci carnibus; Expedit tempore naufragij proiicere merces, Ergo expedit proiicere merces.

3. Tertivs, à dicto diminuente ad aliquid, vt, Febricitanti non eſt bonum vinũ, non valet, Ergo non eſt bonum vinum; Amenti non expediunt arma, Ergo non expediunt arma.

4. Qvartvs, à dicto diminuente ſecundum partẽ, vt, Eſt albus ſecundum dentes, Ergo eſt albus, non ſequitur, Non eſt albus ſecundum dentes, Ergo non eſt albus, Hoc intelligi debet, quando illa pars non eſt proprium ſubiectum illius accidentis: tunc enim valet, vt, Eſt criſpo capite, Ergo eſt criſpus, benè ſequitur; Eſt cæſiis oculis, Ergo eſt cæſius; Eſt curuo naſo, Ergo eſt aquilinus: in his enim bene ſequitur, quia talia prædicata illis partibus propriè & adæquatè inſunt.

5. Qvintvs, à dicto diſtrahente: vt, Duo leones marmorei ſunt in foro, Ergo duo leones ſunt in foro, Hic eſt homo pictus, Ergo non eſt homo, non ſequitur. Eadem eſt Fallacia ſæpe argumentari ab ipſis totis: nõ enim valet, Non eſt albus, Ergo non eſt albus ſecundum dentes; Non eſt leo, Ergo non eſt lapideus; Licet comedere carnes, Ergo licet in die Veneris, & aliis ſimiliter non valet, ſicut nec ab ipſis partibus, niſi

tale prædicatum omni ex parte, & integrè ſubiecto inſit: tunc enim valeret, vt, Non eſt bonum mentiri, Ergo non eſt bonum mentiri in bello, nec domi, & ſimilia.

De Ignorantia Elenchi.

CAP. XVI.

Elenchus. SVPERIVS quid eſſet Elenchus diximus: eſt enim Syllogiſmus contradictionis, id eſt, inferens, & probans contradictorium eius quod conceſſum eſt, vel ſimul duo inferens contradictoria: ſi verè autem probat, Verus Elenchus, ſi cum deceptione, Sophiſticus dicitur. *Duplex deceptio Elenchus.* Vnde duplici ex parte Elencho deceptio accidit: vno modo, quando id non fit Syllogiſmo bono, ſed fallaci: altero modo, quando Syllogiſmus bonus eſt, non tamen probat veram contradictoriam propoſitionis conceſſæ ſed apparentem, cùm non obſeruet leges veræ contradictionis.

Fallaciæ ignorantiæ Elenchi. ET tales fallaciæ, quæ hac parte fiunt, dicuntur Secundum ignorantiam Elenchi, quas Ariſtoteles 1. Elench. c. 4. quatuor numerat.

1. PRIMA, quando contradictoria non ſumuntur ad idem, vt, Numerus ternarius excedit binarium, & non excedit quaternarium, Ergo ternarius excedit numerum, & non excedit.

2. Secunda, quando non ſumuntur ſecundum idem, vt, Corpus hoc eſt duplum ad aliud ſecundum latitudinem, & non ſecundum longitudinem, Ergo eſt duplum, & non duplum.

3. TERTIA ſimiliter, id eſt, quando non ſeruatur idem modus, vt, Currit velociter, non currit tardè, Ergo currit, & non currit.

4. QVARTA, quando non ſeruatur idem tempus, vt, Dormio noctu, non dormio mane, Ergo dormio, & non dormio. Sed de his latè diximus libro ſecundo.

De Fallacia Conſequentis.

Fallacia conſequentis vnde procedat. FALLACIA iſta procedit ex ſimilitudine illius Loci, quo à poſitione Antecedentis ad poſitionē Conſequentis, & ab oppoſito Conſequentis ad oppoſitum Antecedentis procedebamus: Secundum verò Fallaciā hanc fit tranſmutatio, nempe ab oppoſito Antecedentis ad oppoſitum Conſequentis, vt, Si ignis eſt, calor eſt, Ergo ſi ignis non eſt, calor non eſt: Qui dicit te eſſe equum, dicit te eſſe animal, ſed qui dicit te eſſe equum, dicit falſum, Ergo qui dicit te eſſe animal, dicit falſum. In his eſt Fallacia, quia ex oppoſito Antecedentis inferimus oppoſitum Conſequētis, quod non licet, niſi in terminis conuertibilibus. Similiter, quando ex poſitione Conſequentis

tis

tis Antecedens ponimus,ſimilis eſt Fallacia, cùm non liceat, niſi in terminis conuertibilibus, vt, Si homo eſt, animal eſt, Ergo ſi animal eſt, homo eſt; Si ignis eſt, calor eſt, Sed calor eſt, Ergo ignis eſt. Vnde patet in his fallaciis priorem conſequentiam bonam eſſe, poſteriorem verò, qua à negatione Antecedentis,vel à poſitione Conſequentis procedimus, fallacem.

De Fallacia Petitionis principij.

FALLACIA hæc contra Syllogiſmi probationem procedit. Syllogiſmus enim & illatiuus eſt concluſionis, & inſtrumentum probatiuum ipſius. Illatio in recta forma conſiſtit: probatio verò, præter hoc, Antecedens notius Conſequente petit. Ob id Fallacia eſt,æquè ignota,vel ignotiora ad probationem ignotorum ſumere:præſertim quando idem per idem, licèt occultè,probare intendimus, vt qui, probaturus in particulari homines eſſe iuſtos, peteret ad probationem, omnes homines eſſe iuſtos:& probaturus Medicinam eſſe ſcientiam ſani & ægri,peteret ſeparatim Medicinam eſſe ſcientiam ſani, & eſſe ſcientiam ægri, vel denique verbis parùm mutatis idem per idem probaret,in talem incideret Fallaciam.

Illatio. Probatio. Ignoti per æquè ignotum, vel ignotius probatio.

De Fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam.

FALLACIA hæc eſt,cùm concluſionis falſitas,quæ prouenit ex vna Præmiſſa falſa, attribuitur Præmiſſæ veræ: vt omnis homo eſt animal,Planta eſt homo,ergo Planta eſt animal,Concluſio eſt falſa,cuius cauſa eſt Minor:attribuere verò id Maiori,ac velle ob id contendere Maiorem eſſe falſam, eſt Fallacia non cauſæ, vt cauſæ,quam ſuperiùs diximus,non propter hoc accidere falſum.

Fallacia ſecundum non cauſam vt Cauſam.

FIT etiam iſta fallacia, cùm concluſionem veram attribuimus falſo tanquam cauſæ.

SIMILITER cùm Conſequens ex Antecedenti non proprio deducimus,ipſi attribuentes Conſequentis veritatem, vt, Homo eſt diſciplinabilis, Ergo eſt Grammaticus, & huiuſmodi alia.

De Fallacia ſecundum plures interrogationes vt vnam.

FALLACIA hæc cōmittitur,cùm opponens petit vnicā ſibi reſponſionem dari illius,cui vnica reſponderi non poteſt, vt ipſum reſpondentem ex quacunque vna reſpōſione capiat: vt,ſi petat,Homo & leo ſuntne animal rationale, ſi reſpondeatur ita eſſe, colliget leonem eſſe rationalem,quod falſum eſt:Si verò reſpondeatur,non ita eſſe, colliget hominem non

Fallacia plurium interrogationum vt vnius.

eſſe

Cautio. eſſe rationalem, quod etiam falſum eſt. Ad fallaciam hanc reprimendam non oportet vnica reſponſione ſatisfacere petenti multa, quibus non niſi multis reſponderi poteſt.

Epilogus. ATQVE hæc breuiter, de Locis, & Fallaciis atque perinde de tota Introductione. Sit laus Deo omnipotenti, qui nos ad finem perduxit Ipſe faciat, vt in ſui gloriam, & iuuenum vtilitatem, maiorémque in literis progreſſum, quorum gratia ſcripta ſunt, hæc omnia tendant.

FINIS INTRODVCTIONIS.

POR

PORPHYRII PHOENICEI INTRODVCTIO SEVERINO BOETIO, INTERPRETE.

SVMMA LIBRI.

De generis, ſpeciei, differentiæ, proprij, ac accidentis natura. De eorundem communiiatibus ac differentiis.

PROOEMIVM.

CAPVT I.

CVM ſit neceſſarium, Chryſaori, & ad eam, quæ eſt apud Ariſtotelem, Prædicamentorum doctrinam, noſſe quid ſit genus, quid differentia, quid ſpecies, quid proprium, & quid accidens: & ad definitionum aſſignationem, & omnino ad ea quæ de diuiſione & demonſtratione ſunt, vtili exiſtente iſtarum rerum ſpeculatione, compendioſam tibi traditionem faciens, tentabo breuiter, velut introductionis modo, ea, quæ ab antiquis dicta ſunt, aggredi: ab altioribus quidem quæſtionibus abſtinens, ſimpliciores verò mediocriter coniectans. Mox de generibus & ſpeciebus, illud quidem ſiue ſubſiſtant, ſiue in ſolis nudis intellectibus poſita ſint: & ſiue ſubſiſtentia corporalia ſint, an incorporalia: & vtrùm ſeparata, an in ſenſibilibus poſita, & circa hæc conſiſtentia, dicere recuſabo: altiſſimum enim eſt huiuſmodi negotium, & alius maioris egens inquiſitionis. Illud verò quèadmodum de his, ac de propoſitis magis probabiliter antiqui tractauerunt, & horum maximè Peripatetici, tibi nunc tentabo monſtrare.

De Genere.

CAP. II.

VIDETVR autem neq; genus neq; ſpecies ſimpliciter dici. Genus enim dicitur, & aliquorum quodãmodò ſe habentium ad vnum aliquod, & ad ſe inuicem collectio: ſecundum quam ſignificationem Romanorum dicitur genus, ab vnius ſcilicet habitudine (dico autem Romuli) & multitudinis habentium aliquo modo adinuicem eam, quę ab illo eſt, cognationem ſecundum diuiſionem ab aliis generibus dictum.

DICITVR autem & aliter rurſus genus, quod eſt vniuſcuiuſq; generationis principium, vel ab eo qui genuit, vel ab eo loco in quo quis genitus eſt. Sic enim Oreſtem quidem dicimus à Tantalo habere genus, Hylum autem ab Hercule: & rurſus, Pindarum quidem Thebanum eſſe genere, Platonem verò Athenienſem: etenim patria principium quoddam eſt vniuſcuiuſq; generationis, quemadmodùm & pater. Hæc autem videtur promptiſſima eſſe ſignificatio. Romani enim dicũtur, qui ex genere deſcendunt Romuli, & Cecropidæ, qui à Cecrope, & horum proximi. Et priùs quidem appellatum eſt genus vniuſcuiuſque generationis principium, dehinc etiam & multitudo eorum qui ſunt ab vno principio, vt à Romulo: quam diuidentes & ab aliis ſeparantes, dicebamus omnem illam collectionem Romanorum genus.

ALITER autem rurſus genus dicitur, cui ſupponitur ſpecies: ad horum fortaſſe ſimilitudinem dictum. Etenim principium quoddam eſt huiuſmodi genus earum quę ſub ipſo ſunt ſpecierum. videtur etiam multitudinem continere omnem quæ ſub ipſo ſunt ſpecierum.

TRIPLICITER igitur cùm genus dicatur, de tertio apud Philoſophos ſermo eſt: quod etiã deſcribentes aſſignauerunt, Genus eſſe dicentes, quod de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur, vt animal. Eorum enim, quæ prædicantur, alia quidem de vno dicuntur ſolo ſicut indiuidua, vt Socrates, & hic, & hoc: alia verò de pluribus, quemadmodùm genera, & ſpecies, & differentia, & propria, & accidentia communiter, ſed non propriè alicui. Eſt autem genus quidem vt animal, ſpecies verò vt homo, differentia autem vt rationale, proprium vt riſibile, accidẽs vt album, nigrum, ſedere. Ab iis igitur, quæ de quo vno ſolo prædicantur, differunt genera, eo quòd hæc de pluribus prædicantur. Ab iis autem

tem

tem rurſus quæ de pluribus: A ſpeciebus quidem, quoniam ſpecies etſi de pluribus prædicantur, non tamen de differentibus ſpecie, ſed numero. Homo enim cùm ſit ſpecies, de Socrate & Platone prædicatur qui non ſpecie differunt, ſed numero: animal verò, cùm ſit genus, de homine, & boue, & equo prædicatur, qui differunt à ſe inuicem ſpecie, non numero ſolùm. A proprio verò differt genus: quoniam proprium quidem de vna ſola ſpecie cuius eſt proprium, prædicatur, & de his quæ ſub ipſa ſpecie ſunt indiuiduis: quemadmodum riſibile de homine ſolò, & de particularibus hominibus: genus autem non de vna ſpecie prædicatur, ſed de pluribus & differentibus. A differentia verò, & ab iis, quæ communiter ſunt accidentia, differt genus: quoniã etſi de pluribus, & differentibus ſpecie prædicantur differentia, & communiter accidentia, non tamen in eo quod quid eſt prædicantur, ſed in eo quod quale quid eſt. Interrogantibus enim aliquibus, quid eſt illud, de quo prædicantur hæc, genus reſpondebimus, differentias autem & accidentia non reſpondebimus: non enim in eo quod quid eſt prædicantur de ſubiecto, ſed magis in eo quod quale quid eſt: interroganti enim quale quid eſt homo, dicimus quòd rationale, & quale quid eſt coruus, dicimus quòd nigrum: eſt autem rationale quidem differentia, nigrum verò accidens: quando autem quid eſt homo interrogamur, animal reſpondemus; eſt autem hominis genus animal. Quare de pluribus prædicari diuidit genus ab iis, quæ de vno ſolo eorum, quæ ſunt indiuidua, prædicantur, hoc verò de differentibus ſpecie, ſeparat ab iis, quæ ſicut ſpecies prædicantur, vel ſicut propria: in eo autem quod quid eſt prædicari diuidit à differentiis & communiter accidentibus, quæ non in eo quod quid eſt, ſed in eo quod quale quid eſt, vel quomodo ſe habet vnumquodque, prædicatur de iis, de quibus prædicatur. Nihil igitur ſuperfluum, neque minus continet generis dicta deſcriptio notionis.

De ſpecie.

CAP. III.

SPECIES autẽ dicitur quidem & de vniuſcuiuſque forma: ſecundum quam dictum eſt, Prima quidem ſpecies digna eſt imperio. Dicitur autem ſpecies & ea, quæ eſt ſub aſsignato genere: ſecundum quam ſolemus dicere hominem qui-

dem ſpeciem animalis, cùm ſit genus animal, album autem coloris ſpeciem, triangulum verò figuræ ſpeciem. Quòd ſi etiam genus aſſignantes ſpeciei meminimus, dicentes, quòd de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur, & ſpeciem dicimus id, quod ſub aſſignato genere eſt, noſſe oportet quòd quoniam & genus alicuius eſt genus, & ſpecies alicuius eſt ſpecies, vtrunque vtriuſque, idcircò neceſſe eſt in vtrorunque rationibus vtriſque vti. Aſſignant ergo & ſic ſpeciem, *Species eſt, quæ ponitur ſub genere, & de qua genus in eo quod quid eſt prædicatur.* Ampliùs autem ſic quoque, *Species eſt quæ de pluribus & differentibus numero in eo quod quid eſt prædicatur:* ſed hæc quidem aſſignatio ſpecialiſſimæ eſt, & quæ ſolùm ſpecies eſt, non autem & genus: aliæ verò erunt etiam non ſpecialiſſimarum.

Planvm autem erit quod dicitur hoc modo. In vnoquoque Prædicamento ſunt quædam generaliſſima, & rurſus alia ſpecialiſſima: & inter generaliſſima & ſpecialiſſima ſunt alia, quæ genera & ſpecies dicuntur eadem. Eſt autem generaliſſimum quidem ſupra quod nullum aliud ſit ſuperueniens genus. Specialiſſimum autem eſt, poſt quod non eſt alia inferior ſpecies. Inter generaliſſimum autem & ſpecialiſſimum alia, quæ genera & ſpecies ſunt eadem; ad aliud tamen & ad aliud ſumpta. Fiat autem in vno quidem Prædicamento manifeſtum quod dicitur. Subſtantia eſt quidem & ipſa genus: ſub hac autem eſt corpus, & ſub corpore animatum corpus: ſub quo animal, ſub animali verò rationale animal: ſub quo homo, ſub homine verò Socrates & Plato, & qui ſunt particulares homines. Sed horum ſubſtantia quidem generaliſſimum eſt, & quod genus ſolùm, homo verò ſpecialiſſimum, & quod ſolùm ſpecies, corpus autem ſpecies quidem eſt ſubſtantiæ, genus verò animati corporis: ſed & animatum corpus ſpecies quidem eſt corporis, genus verò animalis, rurſus animal ſpecies quidem eſt corporis animati, genus verò rationalis animalis, ſed rationale animal ſpecies quidem eſt animalis: genus autem hominis, homo verò ſpecies quidem eſt rationalis animalis, non autem genus particularium hominum, ſed ſolùm ſpecies, & omne, quod ante indiuidua propinquè prædicatur ſpecies erit ſolùm, non etiam genus.

Generum ac ſpecierum in Prædicamento Subſtantiæ ordo.

Genus	Subſtantia	generaliſſimum
Species	Corpus	& genus
Species	Animatum corpus	& genus
Species	Animal	& genus
Species	Rationale animal	& genus
Species	Homo	ſpecialiſſima
Particulares	Socrates & Plato	homines.

QVEMADMODVM igitur ſubſtantia cùm ſuprema ſit,eò quòd nihil ſupra eam ſit,genus eſt generaliſſimum, ſic etiam homo cùm ſit ſpecies, poſtquàm non eſt alia ſpecies; neque aliquid eorũ,quæ poſſunt diuidi in ſpecies, ſed ſolùm indiuidua(indiuiduum enim eſt Socrates,& Plato,& hoc albũ) ſpecies erit ſolùm & vltima ſpecies,& (vt dictum eſt) ſpecialiſſima: quæ verò ſunt in medio, eorum quidem quæ ante ipſa ſunt, erunt ſpecies,eorum autem, quæ poſt ipſa ſunt,genera. Quare hæc quidem duas habẽt habitudines,eam,quæ eſt ad ea,quæ antecedunt,ſecundum quam ſpecies ipſorum eſſe dicuntur:& eam,quæ eſt ad poſteriora,ſecundum quam genera ipſorum eſſe dicuntur. Extrema verò vnam habent habitudinem.Nam & generaliſſimum ad ea quidem,quę poſteriora ſunt,habet habitudinem, cùm ſit genus omnium id quod eſt ſupremum:eam verò,quæ ad ſuperiora nõ habet, cùm ſit ſupremum & primum principiũ,& (vt diximus) ſupra quod nõ eſt aliud ſuperueniẽs genus.Specialiſſimum autem vnam habet & ipſum habitudinem,hanc quidẽm, quæ eſt ad ſuperiora, quorum eſt ſpecies; eam verò,quæ eſt ad poſteriora, non diuerſam habet habitudinem, ſed eandem,& ſpecies indiuiduorum dicitur; ſed ſpecies quidem dicitur indiuiduorum, velut ea continens,ſpecies autem ſuperiorum; velut quæ ab eis continetur.Determinant igitur generaliſſimum genus ita, quod cùm genus ſit, non eſt ſpecies, & rurſus, ſupra quod non eſt aliud ſuperueniens genus.Specialiſſimã verò ſpeciem

ſic, quæ cùm ſit ſpecies, non eſt genus, & quã, cùm ſit ſpecies, in ſpecies diuidere non poſſumus, adhuc autem & quę de pluribus & differentibus numero in eo quod quid eſt pędicatur. Ea verò, quę in medio ſunt extremorũ, ſuba terna vocant genera & ſpecies, & vnumquodq; ipſorum ſpeciem eſſe & genus ponunt, ad aliud tamen & aliud ſumptum, ea enim, quæ ſunt ante ſpecialiſſima vſq; ad generaliſſimum aſcendentia, & genera dicuntur, & ſpecies ſubalterna, vt Agamemnon, Atrides, & Pelopides, & Tantalides, & vltimùm Iouis. Sed in familiis quidem plerunque ad vnum reducuntur principium, ver. g. ad Iouem: in generibus verò & ſpeciebus non ſic ſe habet. Neque enim eſt commune vnum genus omnium ens: nec omnia eiuſdem generis ſunt ſecundũ vnum ſupremum genus, quemadmodùm dicit Ariſtoteles: ſed poſita ſint (quẽadmodùm in prædicamentis dictũ eſt) prima decem genera, quaſi prima decem principia. Et ſi omnia quis entia vocet, æquiuocè (inquit) nuncupabit, ſed non vniuocè. Si enim vnum eſſet cõmune omnium genus ens, vniuocè omnia entia dicerentur: cùm verò decem ſint prima, communio ſecundũ nomen eſt ſolùm non tamen ſecundũ rationẽ, quę ſecundum nomen eſt. Decem igitur generaliſſima quidem ſunt; ſpecialiſſima verò in numero quidem quodam ſunt, non tamen infinito. Indiuidua autem, quæ ſunt poſt ſpecialiſſima, infinita ſunt. Quapropter vſque ad ſpecialiſſima à generaliſſimis deſcendẽtes iubebat Plato quieſcere: deſcendere autem per media diuidentes ſpecificis differentiis, infinita verò (inquit) relinquenda ſunt, neq; enim eorum ſcientiam poſſe fieri. Deſcendentibus igitur ad ſpecialiſſima, neceſſe eſt diuidentes per multitudinem ire: aſcendentibus verò ad generaliſſima, neceſſe eſt colligere multitudinem in vnum: collectiuum enim multorum in vnam naturam ſpecies eſt, & etiam magis id, quod genus eſt: particularia verò & ſingularia ecõtrariò ſemper in multitudinem diuidunt id, quod vnum eſt: participatione enim ſpeciei plures homines, vnus: particularibus autẽ & ſingularibus vnus & communis plures, diuiſiuum enim ſemper eſt, quod ſingulare eſt, collectiuum autem & adunatiuum, quod commune eſt.

Assignato autẽ genere & ſpecie q̃d ſit vtrunq; eorũ, & genere quidẽ vno exiſtente, ſpeciebus verò pluribus (ſemper enim in plures ſpecies diuiſio generis eſt) genus quidem ſemper de ſpecie prædicatur, & omnia ſuperiora de inferioribus: ſpecies autem neq; de proximó ſibi genere, neq; de ſuperiori

tioribus:neque en m conuertitur. Oportet enim aut æqua de æquis prædicari, vt hinnibile de equo, aut ma ora de minoribus, vt animal de homine: minora verò de maioribus minimè, neque enim dices animal eſſe hominē, quemadmodùm hominem dices eſſe animal De quibus autem ſpecies prædicatur, de iis neceſſariò & ſpeciei genus prædicabitur, & generis genus vſque ad generaliſſimum: ſi enim verum eſt dicere, Socratem hominem, hominem autem animal, animal autem ſubſtantiam, verum eſt & Socratem animal dicere, atque ſubſtantiam: ſemper enim cùm ſuperiora de inferioribus prædicentur, ſpecies quidem de indiuiduis prædicabitur, genus autem & de ſpecie, & de indiuiduo: generaliſſimum verò de genere vel generibus, ſi plura ſint media & ſubalterna, & de ſpecie, & de indiuiduo: dicitur enim generaliſſimum quidem de omnibus ſub ſe poſitis generibus, & ſpeciebus & indiuiduis: genus autem quod ante ſpecialiſſimum eſt, de omnibus ſpecialiſſimis, & indiuiduis, ſolùm autem ſpecies de omnibus indiuiduis, indiuiduum autem de vno ſolo particulari. Indiuiduum autem dicitur Socrates, & hoc a bum, & hic veniens Sophroniſci filius, ſi ſolus ſit ei Socrates filius. Indiuidua autem dicũtur huiuſmodi, quoniam ex proprietatibus conſiſtit vnumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit: Socratis enim proprietates nunquam in aliquo alio particularium erunt eædem: eæ verò, quæ ſunt hominis proprietates (dico autem eius, qui eſt communis) erunt eædem in pluribus, magis autem & in omnibus particularibus hominibus, in eo quòd homines ſunt: continetur igitur indiuiduum quidem ſub ſpecie, ſpecies autem ſub genere. Totum enim quiddam eſt genus: indiuiduum autem pars: ſpecies verò & totum eſt, & pars, ſed pars quidem alterius, totum autem non alterius, ſed in aliis: in partibus enim totum eſt.

De genere igitur & ſpecie, & quid generaliſſimum, & quid ſpecialiſſimum, & quæ genera eadem, & ſpecies ſint, quæ etiam indiuidua, & quot modis genus & ſpecies dicantur, ſufficienter dictum eſt.

De Differentia.
CAP. IIII.

DIFFERENTIA verò & cõmuniter, & propriè, & propriiſſimè dicatur. Nam communiter quidem differre alterũ ab altero dicitur, quod alteritate differt quocunque modo, vel à ſeipſo vel ab alio: differt enim Socrates à Platone a te-

ritate,& ipſe à ſeipſo, & puero exiſtente & viro facto, & faciente aliquid vel quieſcente: & ſemper in aliquo modo habendi ſe alteritatibus ſpectatur. Propriè autem differre alterum ab altero dicitur, quando inſeparabili accidēte alterum ab altero differt. Inſeparabile verò accidēs eſt, vt cęcitas oculorum, aut naſi curuitas, aut cicatrix cùm ex vulnere occalluerit. Propriiſſimè autem differre alterum ab altero dicitur, quando ſpecifica differentia differt: quemadmodùm homo ab equo ſpecifica differentia differt, rationalis qualitate. Vniuerſaliter ergo omnis differentia addita alicui alterum facit, ſed eæ quidem, quæ & communiter & propriæ ſunt, alteratum faciunt, quæ verò propriiſſimæ aliud. Quæ quidē igitur aliud faciunt, ſpecificæ vocantur, illæ verò quæ alteratū, ſimpliciter differentiæ: animali enim aduenìens rationalis differentia, aliud fecit, eius autem quod eſt moueri, alteratum ſolùm à quieſcēte fecit, quare illa quidem aliud, hæc verò alteratum ſolùm fecit. Secundum igitur aliud facientes differentias diuiſiones generum fiunt in ſpecies, & definitiones aſſignantur, quæ ſunt ex genere & huiuſmodi differentiis, ſecundum autem eas, quæ ſolùm alteratum faciunt alteritates ſolùm conſiſtunt, & aliquo modo ſe habentis permutationes.

A SVPERIORIBVS ergo rurſus inchoanti, dicendū differētiarum alias quidem eſſe ſeparabiles, alias verò inſeparabiles: moueri enim & quieſcere, & ægrum eſſe, & ſanum eſſe, & quæcunque his proxima ſunt, ſeparabilia ſunt, at verò aquilinum eſſe, vel ſimum, vel rationale, vel irrationale inſeparabilia ſunt. Inſeparabilium autem aliæ quidem ſunt per ſe, aliæ verò per accidens: nam rationale per ſe ineſt homini, & mortale, & diſciplinæ eſſe ſuſceptiuum, at verò aquilinum eſſe, vel ſimum per accidens, & non per ſe. Illæ igitur quæ per ſe ſunt, in ſubſtantiæ ratione accipiuntur, & faciunt aliud, illæ verò quæ ſecundum accidens, nec in ſubſtantiæ ratione accipiuntur, nec faciunt aliud, ſed alteratum. Quæ quidem igitur per ſe ſunt, non ſuſcipiunt magis & minùs, quæ verò per accidens (etſi inſeparabiles ſint) intenſionem accipiunt & remiſſionem: nam neque genus aut magis & minùs prædicatur de eo cuius fuerit genus, neque generis differētiæ, ſecundùm quas diuiditur; ipſæ enim ſunt, quæ vniuſcuiuſque rationem complent: eſſe autem vnicuique vnum & idem, neque intenſionem, neque remiſſionem ſuſcipiens eſt; aquilinum autem eſſe, vel ſimum, vel coloratum, aliquo modo & intenditur, & remittitur.

CVM

Cvm igitur tres ſpecies differentiæ conſiderentur,& hæ quidem ſint ſeparabiles,illæ verò inſeparabiles,& rurſus,inſeparabilium hæ quidem ſint per ſe, illæ verò per accidens, rurſus earũ,quæ per ſe ſunt,differentiarum,aliȩ quidem ſunt, ſecundùm quas diuidimus genera in ſpecies,aliȩ verò,ſecundùm quas ea quæ diuiſa ſunt ſpecificantur, vt cùm per ſe differentiæ omnes huiuſmodi animalis ſint,animatum & ſenſitiuũ,rationale & irrationale,mortale,& immortale, animati quidem & ſenſitiui differentia conſtitutiua eſt ſubſtantiæ animalis,(eſt enim animal ſubſtantia animata ſenſitiua) mortalis verò & immortalis differentia,& rationalis & irrationalis diuiſæ ſunt animalis differentiæ: per eas enim genera in ſpecies diuidimus. Sed eæ quidem, quæ diuiſiuæ ſunt differentiæ generum completiuȩ fiunt,& conſtitutiuæ ſpecierum: diuiditur enim animal rationalis & irrationalis differentia,& rurſus mortalis & immortalis differentia; ſed rationalis & mortalis differentiæ conſtitutiuæ fiunt hominis, rationalis verò & immortalis Dei, irrationalis autem & mortalis irrationalium animalium. Sic verò & ſupremæ ſubſtantiæ cùm diuiſiuæ ſint animati & inanimati differentiæ, & ſenſitiui & inſenſitiui, animata quidem & ſenſitiua, iuxta ſubſtantiam ſumptæ,animal perfecerunt:animata verò & inſenſitiua perfecerunt plantam.

Qvoniam ergo eædẽ aliquo modo quidem acceptæ fiunt conſtitutiuæ, aliquo modo autem diuiſiuæ, ſpecificæ omnes vocantur, & his maximè opus eſt ad diuiſiones generum, & ad definitiones: ſed non his, quæ ſecundum accidens inſeparabiles ſunt, neque etiam magis iis, quæ ſunt ſeparabiles. Quas etiam determinantes dicunt, *Differentia eſt, qua abundat ſpecies à genere:* homo enim plus habet quàm animal, rationale, & mortale; animal enim nihil horum eſt. Nam vnde ſpecies haberent differentias? Neque verò omnes oppoſitas habet,quoniam idem ſimul habebit oppoſita. Sed quemadmodùm cenſent, poteſtate quidem habet omnes eorum, quæ ſub ſe ſunt,differentias,actu verò nullam, ac ſi neque ex iis,quæ non ſunt,aliquid fit,neque oppoſita circa idem erunt. Definiunt autem eam & hoc modo, *Differentia eſt, quæ de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quale quid eſt prædicatur*: rationale enim & mortale de homine prædicatum in eo quod quale quid eſt homo dicitur, ſed non in eo quod quid eſt:quid eſt enim homo,nobis interrogatis,conueniens dicere animal,quale autem animal, inquiſitis, quod rationale &

mortale eſt conuenienter aſſignabimus. Rebus enim ex materia & forma conſtantibus, vel ſecundũ proportionẽ ad materiam & formam cõſtitutionẽ habentibus, quemadmodùm ſtatua ex materia quidem eſt ære, ex forma autem figura, ſic & homo communis & ſpecialis ex materia quidẽ proportionaliter conſiſtit ex genere, ex forma autem differentia: totum autem hoc animal rationale mortale homo eſt, quemadmodum illic ſtatua. Deſcribunt autem & hoc modo, *Differentia eſt, quod aptum natum eſt diuidere ea, quæ ſub eodem genere ſunt:* rationale enim & irrationale hominẽ & equum, quæ ſub eodem genere ſunt, quod eſt animal, diuidunt. Aſſignant autẽ & hoc modo, *Differentia eſt qua differunt à ſe ſingula*: nãque homo, & equus ſecundum genus non differũt, ſumus enim animalia nos, & equi; ſed additũ rationale diſiunxit nos ab illis, & rationales ſumus & nos, & Dij; ſed mortale appoſitum diſiunxit nos ab illis. Exactiùs autem pertractantes ea, quæ ad differentiam pertinent, dicunt non quodlibet diuidẽrium ea, quæ ſub eodem genere ſunt, eſſe differẽtiam, ſed quod ad eſſe conducit, & quod quid erat eſſe, & quod rei pars eſt. Neque enim quod natum eſt nauigare, eſt hominis differentia, etſi ſit propriũ hominis: dicere enim poſſumus animaliũ hæc quidẽ apta eſſe ad nauigandum, illa verò minimè, diuidentes hominem ab aliis, ſed aptum natum eſſe ad nauigandum, non eſt ſubſtantiæ completiuum, nec eius pars, ſed aptitudo ſolùm ipſius, idcircò quia non eſt talis differentia, quales ſunt, quæ ſpecificæ dicuntur differentiæ. Erunt ergo ſpecificæ differentiæ, *quæcunque alteram faciunt ſpeciem, & quæcunque in eo quod quid erat eſſe accipiuntur.* Et differentia quidem tot ſufficiant.

De Proprio.

CAP. V.

PROPRIVM verò quadrifariam diuidunt. Nam & id quod ſoli alicui ſpeciei accidit, etſi non omni, proprium dicitur: vt homini medicũ eſſe vel geometram. Et quod omni accidit ſpeciei, etſi nõ ſoli: quemadmodùm homini eſſe bipedem. Et quod ſoli & omni, & aliquando, vt omni homini in ſenectute caneſcere. Quartum autem id, in quo conuenerunt & ſoli, & omni, & ſemper: quemadmodum homini eſſe riſibile, nam etſi non ſemper rideat, tamen riſibilis dicitur, non quòd rideat ſemper, ſed quòd ſemper aptus natus ſit vt rideat: hoc

autem

autem ei ſemper connaturale eſt, quemadmodum & equo hinnibile. Hæc autem & propriè propria dicuntur, quoniam etiam conuertuntur, ſi quid enim equus, hinnibile eſt, &, ſi quid hinnibile eſt, equus eſt.

De Accidente.

CAP. VI.

Accidens autem eſt, quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem. Diuiditur autẽ in duo: hoc enim ipſius ſeparabile eſt, illud verò inſeparabile: dormire quidem ſeparabile accidens eſt, nigrum verò eſſe inſeparabiliter coruo & Æthiopi accidit. Poteſt enim intelligi & coruus albus, & Æthiops abiiciens colorem præter ſubiecti corruptionem. Definiunt autem ſic quoque, Accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe & non ineſſe: &, quod neque genus eſt, neque differentia, neque ſpecies, neque proprium, ſemper autem eſt in ſubiecto ſubſiſtens.

***

ARI

ARISTOTELIS STAGIRITAE, PERIPATETICORVM PRINCIPIS, PRAEDICAMENTA, SEVERINO BOETIO INTERPRETE.

SVMMA LIBRI.

De quibuſdam tanquam ſuppoſitis, ad Prædicamentorum doctrinam conferentibus. De Prædicamentis ipſis. De conſequentibus quibuſdam ad ipſa Prædicamenta: ac de nonnullis vocibus, de quibus mentio facta eſt in Prædicamentis

TRACTATVS PRIMVS.

De Aequiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis: eorum etiam, quæ dicuntur, diuiſio.

CAPVT I.

AEQVIVOCA dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, ſecundum nomen verò ſubſtantiæ ratio diuerſa, vt animal & homo, & quod pictum eſt: horum enim ſolum nomen commune eſt, ſecundum nomen verò ſubſtantiæ ratio diuerſa. Si enim quis aſſignet quid ſit eorum vtrunque quo animal eſt, propriam aſſignabit vtriuſque rationem.

VNIVOCA verò dicuntur, quorum & nomen commune eſt; & ſecundum nomen eadem ſubſtantiæ ratio, vt animal & homo, atque bos: communi enim nomine horum vtrunque ani

animal nuncupatur, & eſt ratio ſubſtantiæ eadem. Si quis enim aſſignet vtriuſque rationem, quid vtrunque eſt, quo animal eſt, eandem aſſignabit rationem.

DENOMINATIVA verò dicuntur, quæcunque ab aliquo, differentia caſu, ſecundum nomen habent appellationem, vt à Grammatica Grammaticus, & à fortitudine fortis.

EORVM quæ dicuntur, alia quidem ſecundum complexionem dicuntur, alia verò ſine complexione. Ea igitur, quæ ſecundùm complexionem dicuntur, ſunt vt, homo currit, homo vincit. Ea verò quæ ſine complexione dicuntur, ſunt vt, homo, bos, currit, vincit.

Eorum, quæ ſunt, diuiſio.

CAP. II.

EORVM, quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, in ſubiecto verò nullo ſunt: vt homo de ſubiecto quidem dicitur quodam homine, in ſubiecto verò nullo eſt. Alia autem in ſubiecto quidem ſunt, de ſubiecto autem nullo dicuntur. In ſubiecto verò eſſe dico, quod cùm in aliquo ſit, non ſicut quædam pars impoſſibile eſſe ſine eo in quo eſt: vt, quædam Grammatica in ſubiecto quidem eſt in anima, de ſubiecto verò nullo dicitur, & hoc album in ſubiecto quidem eſt corpore, omnis enim color in corpore eſt, de ſubiecto autem nullo dicitur. Alia verò de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt, vt ſcientia in ſubiecto quidem eſt in anima, de ſubiecto verò dicitur, vt de Grammatica. Alia verò neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto aliquo dicuntur, vt quidam homo, & quidam equus: nihil enim talium neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto aliquo dicitur. Simpliciter autem quæ ſunt indiuidua, & vnum numero, de ſubiecto nullo dicuntur: in ſubiecto autem nihil aliqua prohibet eſſe, quædam enim Grammatica in ſubiecto eſt, at de ſubiecto nullo dicitur.

COMPLEXIONVM CONSIſtentium & inconſiſtentium deſcriptio.



Regula in Prædicatis eſſentialibus.

CAP. III.

QVANDO alterum de altero prædicatur, vt de ſubiecto, quæcunque de eo quod prædicatur dicúntur, omnia etiam de ſubiecto dicentur: vt homo de homine quodam prædicatur, animal verò de homine, ergo & de quodam homine animal prædicabitur: quidam enim homo, & homo eſt, & animal.

Regula genera non ſubalterna à ſubalternis diſtinguens.

CAP. IIII.

DIVERSORVM generum & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies & differentiæ: vt animalis, & ſcientiæ: ani

tiæ:animalis enim differentiæ ſunt,greſſibile,bipes,& volatile, & aquatile, ſcientiæ verò nulla earum eſt: neque enim ſcientia à ſcientia differt in eo quod bipes eſt. Subalternorum verò generum nihil prohibet eaſdem eſſe differentias: ſuperiora enim de iis quæ ſub ipſis ſunt generibus prædicantur:quare,quotcunque differentiæ prædicati fuerint,totidem & ſubiecti erunt.

Incomplexorum in decem Prædicamenta diuiſio: Quomodóque affirmationem, aut negationem conſtituant.

CAP. V.

EORVM, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque aut ſubſtantiam ſignificat, aut Quantum, aut Quale, aut Aliquid, aut Vbi, aut Quando, aut Situm eſſe, aut Habere, aut Agere, aut Pati. Eſt autem Subſtantia quidem, vt in figura dicatur, vt homo, equus: Quantum autem, vt bicubitum, tricubitum: Quale, vt album, Grammaticum: Ad aliquid, vt duplum, dimidium, maius: Vbi verò, in foro, in Lycio: Quando autem, vt heri, ſuperiore anno: Situm verò eſſe, vt iacet, ſedet: Habere autem, vt calceatum eſſe, armatum eſſe: Agere verò, vt ſecare, vrere: Pati, vt ſecari, vri. Singula igitur eorum, quæ dicta ſunt, ipſa quidem ſecundum ſe in nulla affirmatione dicuntur, vel negatione, horum autem ad ſe inuicem complexione affirmatio, vel negatio fit. Omnis enim affirmatio, aut negatio videtur vel vera, vel falſa eſſe: eorum autem, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, nullum neque verum, neque falſum eſt, vt homo, album, currit, vincit.

***

TRA

TRACTATVS SECVNDVS.

De Subſtantia.

CAP. I.

SVBSTANTIA autem eſt, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt, vt quidam homo, & quidam equus. Secundæ autem ſubſtantiæ dicuntur ſpecies, in quibus eæ, quæ principaliter ſubſtantiæ dicuntur, inſunt: & hæ quidem, & harum ſpecierum genera. Vt quidam homo in ſpecie quidem eſt in homine, genus verò ſpeciei animal: ſecundæ igitur hæ ſubſtantiæ dicuntur, vt eſt homo, atque animal. Manifeſtum eſt autem ex iis, quæ dicta ſunt, quòd eorum, quæ de ſubiecto dicuntur, neceſſe eſt & nomen & rationem de ſubiecto prædicari: vt homo de ſubiecto quodam homine dicitur, prædicatur etiam & nomen: hominem enim de quodam homine prædicabis; & ratio quoque hominis de quodam homine prędicabitur; quidam enim homo & homo eſt, & animal, quare & nomen & ratio de ſubiecto prædicabitur. Eorum verò quæ in ſubiecto ſunt, in plurimis quidem neque nomen, neque ratio prædicatur de ſubiecto: in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de ſubiecto, rationem verò impoſſibile eſt, vt album cùm in ſubiecto ſit corpore, prædicatur de ſubiecto: dicitur enim corpus album, ratio verò albi nunquam de corpore prædicabitur. Alia verò omnia aut de ſubiectis dicuntur primis ſubſtantiis, aut in ſubiectis eis ſunt. Hoc autem manifeſtum eſt ex iis, quæ per ſingula proponuntur: vt animal de homine prædicatur, ergo & de quodam homine animal prædicabitur: nam ſi de nullo quorundam hominum, neque omnino de homine. Rurſus, color in corpore eſt: ergo & in quodam corpore: nam ſi non in aliquo eſſet

ſingulo

ſingulorum, nec omnino in corpore. Quare alia omnia aut de ſubiectis primis dicuntur ſubſtantiis, aut in ſubiectis eis ſunt. Non ergo exiſtentibus primis ſubſtantiis, impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe. Secundarum verò ſubſtātiarum, magis ſubſtantia eſt ſpecies, quàm genus: propinquior enim eſt primæ ſubſtantiæ. Si quis enim aſſignet primam ſubſtantiam quid eſt, euidentiùs & conuenientiùs aſſignabit ſpeciē, quàm genus aſſignans: vt hominem quēdam aliquis aſſignans manifeſtiùs aſſignabit, hominem quàm animal aſſignans, illud enim proprium magis cuiuſdam hominis, hoc autem communis: & cùm quandam arborem aſſignauerit, manifeſtiùs aſſignabit, aſſignando arborem quàm plantam. Ampliùs, primæ ſubſtantiæ, ideò ꝙ aliis omnibus ſubiiciuntur, & omnia alia vel de ipſis prædicantur, vel in ipſis ſunt, propter hoc maximè ſubſtantiæ primæ dicuntur. Quemadmodùm autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ſic & ſpecies ad genus ſe habet: ſubiicitur enim ſpecies generi, genera enim de ſpeciebus prædicantur, ſpecies autem cum generibus non conuertuntur. Quare & ex his ſpecies genere magis ſubſtantia eſt. Ipſarum verò ſpecierum, quæcunque non ſunt genera, nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt: nihil enim familiarius aſſignabis de quodam homine, hominem aſſignando, quàm de quodam equo, equum. Similiter autem & in primis ſubſtantiis nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt: nihil enim magis quidam homo ſubſtantia eſt, quàm quidam bos. Meritò igitur poſt primas ſubſtantias ſola aliorum omnium ſpecies, & genera, ſecundæ ſubſtantiæ dicũtur. Sola enim hęc, eorum quæ prædicantur, primam ſubſtantiā indicant: quendam enim hominem ſi quis aſſignauerit qu d eſt, ſpeciē quidē quàm genus aſſignando, familiariùs demonſtrabit: & manifeſtiùs faciet hominem aſſignando, quàm animal: aliorũ verò omnium quicquid aſſignauerit quis, aſſignabit extraneè, velut album, aut currit, aut aliud quodcunque taliũ aſſignās. Quare meritò hæ ſolæ aliorum ſecundę ſubſtantiæ dicuntur. Ampliùs, primæ ſubſtantiæ, eò ꝙ aliis omnibus ſubiiciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, vel in ipſis ſunt, propriiſſimæ ſubſtantiæ dicuntur: ſicut autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ita genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad reliqua omnia ſe habent, de his enim reliqua omnia prædicantur: quendam enim hominem dices Grammaticum eſſe, ergo & hominem, & animal Grammaticum dices: ſimiliter autem & in aliis. Commune autem omni ſubſtantiæ eſt,

in ſubiecto non eſſe. Prima namque ſubſtantia nec in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto aliquo dicitur. Secundarum verò ſubſtantiarum conſtat quidem etiam ſic, quòd nulla eſt in ſubiecto: homo enim de ſubiecto quidē quodam homine dicitur, in ſubiecto verò non eſt, neque enim in quodam homine homo eſt: ſimiliter autem & animal de ſubiecto quidem dicitur quodam homine, non eſt autē animal in quodā homine. Amplius, eorum, quæ in ſubiecto ſunt, nomen quidem de ſubiecto aliquando nihil prohibet prædicari, rationē verò impoſſibile eſt: ſecundarum verò ſubſtantiarum de ſubiecto & ratio prædicatur, & nomen: rationem enim hominis de quodā homine prædicabis, & animalis ſimiliter: quare non erit eorum ſubſtantia, quæ ſunt in ſubiecto. Non eſt autem propriū ſubſtantiæ hoc, ſed & differentia eorum eſt, quæ non ſunt in ſubiecto: bipes enim & greſſibile de ſubiecto quidem quodā homine dicitur, in ſubiecto verò non eſt: neque enim in homine eſt bipes, neque greſſibile. Ratio quoque differentiæ de illo prædicatur, de quocunque ipſa differentia dicitur: velut ſi greſſibile de homine prædicatur, & ratio greſſibilis de homine prædicabitur, eſt enim homo greſſibilis.

Non conturbent autem nos ſubſtantiarum partes, quæ ita ſunt in toto, quaſi in ſubiecto ſint; ne fortè cogamur eas non eſſe ſubſtantias confiteri: non enim ita ea quæ ſunt in ſubiecto dicebantur, quaſi vt partes ineſſent alicui.

Ineſt autē ſubſtantiis & differentiis omnia vniuocè prędicari. Omnia enim quæ ab his prædicata ſunt, aut de indiuiduis prædicantur, aut de ſpeciebus: à prima namque ſubſtantia nulla eſt prædicatio, de nullo enim ſubiecto dicitur. Secūdarum verò ſubſtantiarum ſpecies quidem de indiuiduo prędicatur, genus verò & de ſpeciebus, & de indiuiduis: ſimiliter autem & differentiæ & de ſpeciebus, & de indiuiduis prædicantur. Et rationem quoque ſuſcipiunt primæ ſubſtantiæ ſpecierum, & generum & ſpecies generis: quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem & de ſubiecto dicentur, ſimiliter autem rationem differentiarum ſuſcipiunt & ſpecies, & indiuidua, vniuoca autem erunt, quorum & nomen cōmune eſt, & ratio eadem. Quare omnia, quæ a ſubſtantiis & differentiis ſunt, vniuocè prædicantur. Omnis autē ſubſtātia videtur hoc aliquid ſignificare. In primis igitur ſubſtātiis indubitabile, & verum eſt, quòd hoc aliquid ſignificant: indiuiduum enim & vnum numero eſt quod ſignificatur. In ſecundis verò ſubſtātiis videtur quidem ſimiliter appellationis figura hoc aliquid ſigni-

ſignificare, quando quis dixerit hominem vel animal: non tamen verum eſt, ſed magis quale aliquid ſignificant: neque enim vnũ eſt quod ſubiectum eſt, quemadmodum prima ſubſtãtia, ſed de multis homo dicitur, & animal. Non autem ſimpliciter quale quid ſignificat, quemadmodùm album (nihil enim aliud ſignificat album, quàm qualitatem) at ſpecies & genus circa ſubſtantiam qualitatem determinant, qualem enim quandam ſubſtantiam ſignificant, plus autem in genere determinatio fit, quàm in ſpecie, dicens enim animal plus complectitur, quàm qui hominem.

Inest autem ſubſtantiis nihil illis eſſe contrarium. Primæ enim ſubſtantiæ quid erit contrarium, vt cuidàm homini, vel cuidam animali? at verò nec homini nec animali aliquid eſt contrarium. Non eſt autem hoc ſubſtantiæ proprium, ſed etiam multorum aliorum, vt quantitati: bicubito enim vel tricubito nihil eſt contrarium, at verò nec decem, nec alicui talium. Niſi fortè quis multum pauco dicat eſſe contrarium, vel magnum paruo: determinatorum verò quantorum nullum nulli eſt contrarium.

Videtvr autẽ ſubſtantia non ſuſcipere magis & minus. Dico autem, non quòd ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis & minùs ſubſtantia (hoc enim dictum eſt quod eſt) ſed ꝙ vnaquæque ſubſtantia hoc ipſum quod eſt, non dicitur magis & minus: vt, ſi eſt eadem ſubſtantia homo, non erit magis & minùs homo, neque ipſe ſeipſo, neque alter altero, non enim eſt alter altero magis homo, ſicut eſt album alterum altero magis & minùs album, & bonum alterũ altero magis & minùs bonum. Sed & ipſum ſeipſo magis & minùs dicitur, vt corpus cùm ſit magis nunc album eſſe dicetur quàm priùs, & cùm calidum ſit album, magis & minùs calidum dicitur: ſubſtantia verò non dicitur magis, neque minùs: nihil enim homo magis nunc homo, quàm priùs dicitur, neque aliorum quidquam, quæcunque ſubſtantiæ ſunt. Quapropter non recipiet ſubſtantia magis & minùs.

Maxime verò proprium ſubſtantiæ eſſe videtur, cùm vnũ & idem numero ſit, contrariorum ſuſceptiuum eſſe, quale in aliis quidem non habet quidã quod proferat tale, quęcunque non ſunt ſubſtantiæ, quod cùm ſit vnum numero, ſuſceptibile contrariorum ſit, velut color, qui eſt vnus & idem numero, non dicitur albus & niger, neque eadem actio & vna numero, praua & ſtudioſa, ſimiliter autem & in aliis, quæcunque non ſunt ſubſtantiæ. Subſtantia verò, cùm vnum

& idem numero ſit, ſuſceptiua contrariorum eſt: vt, quidam homo cùm vnus & idem ſit, aliquando quidem albus, aliquãdo ſit niger, & calidus & frigidus, & prauus & ſtudioſus: in alijs autem nullis aliquid tale videtur. Niſi quis forſitan inſtet, dicẽs orationem & opinionem contrariorum eſſe ſuſceptibilia: eadem enim oratio vera, & falſa videtur eſſe; veluti ſi vera ſit oratio, ſedere quempiam, eo ſurgente ipſa eadem falſa erit: ſimiliter autem & de opinione; ſi quis enim verum putet aliquem ſedere, ſurgente eo falſò putabit, eandem de ipſo opinionem habens. Sed ſi quis & hoc ſuſcipiat, tamen modo differt. Nam ea, quæ in ſubſtantiis ſunt, ipſa quidem mutata ſuſceptibilia ſunt contrariorum: frigidum enim ex calido factum mutatur (alteratur enim) & nigrum ex albo, & ſtudioſum ex prauo: ſimiliter autem & in aliis vnumquodque eorum mutationem ſuſcipiens ſuſceptibile contrariorum eſt. Oratio autem & opinio, ipſa quidem immobilia omnino perſeuerant, cùm verò res mouetur, contraria circa ipſa fiunt, oratio namque eius ꝙ ſedeat aliquis permanet eadem; cùm verò res mobilis ſit aliquando quidem vera, aliquando autem falſa dicitur: ſimiliter autem eſt in opinione. Quapropter ſaltem modo proprium ſubſtantiæ eſt, vt ſecundum mutationẽ ſui ipſius ſuſceptibilis ſit cõtrariorum. Si quis autem recipiat etiam hæc, orationem & opinionem ſuſceptibilia eſſe contrariorum, non eſt hoc verum. Oratio namque & opinio, non eò ꝙ ipſa aliquid recipiant, contrariorum ſuſceptibilia eſſe dicuntur, ſed eò ꝙ circa alterum aliqua paſſio facta ſit: nam eò ꝙ res eſt, aut non eſt, eò etiam oratio vera vel falſa eſſe dicitur. non eo ꝙ ipſa ſuſceptibilis ſit contrariorum, ſimpliciter enim à nullo, neque oratio, neque opinio mouetur, quapropter non erunt ſuſceptibilia contrariorum, cùm nulla contrarij ſit paſſio in eis facta. Verùm ſubſtantia eo ꝙ ipſa contraria recipiat, hoc ſuſceptibilis eſſe contrariorum dicitur, languorem enim & ſanitatem ſuſcipit, & candorem & nigredinem, & vnumquodque talium ipſa ſuſcipiendo, contrariorum ſuſceptibilis eſſe dicitur. Quare proprium erit ſubſtantiæ hoc, cùm vnum & idem numero ſit ſecundum ſui ipſius mutationem, ſuſceptibilem contrariorum eſſe. De ſubſtantia quidem hæc dicta ſint.

De

De Quanto.

CAP. II.

QVANTI autem aliud quidem eſt diſcretum, aliud autem continuum, & aliud quidem ex habentibus poſitionem ad ſe inuicem in ipſis partibus conſtat, aliud autem ex non habentibus poſitionem.

Eſt autem diſcretum quidem, vt numerus, & oratio: continuum verò, vt linea, ſuperficies, corpus: ampliùs autem præter hæc locus & tempus. Partium etenim numeri nullus eſt communis terminus, ad quem copulentur partes eius: vt quinque ſi ſunt denarij partes, ad nullum terminum communem copulantur quinque & quinque, ſed ſemper diſcreta ſunt: & tria & ſeptem ad nullum communem terminum copulantur, neque omnino habeas in numero communem terminum partium accipere, ſed ſemper diſcretæ ſunt: quapropter numerus quidem diſcretorum eſt. Similiter autem & oratio: ꝙ etenim quantum eſt oratio, manifeſtum eſt, menſuratur enim ſyllaba breui, & longa. Dico autem cum voce orationem factam: ad nullum enim communem terminum particulæ eius copulantur: non enim eſt communis terminus, ad quem ſyllabæ copulentur, ſed vnaquæque diuiſa eſt, ipſa ſecundum ſeipſam. Linea verò continua eſt: eſt enim ſumere communem terminum punctum, ad quem partes eius copulentur, & ſuperficiei lineam: plani namque partes ad aliquem communem terminum copulantur. Similiter autem & in corpore habeas ſumere communem terminum, lineã vel ſuperficiem, ad quam corporis partes copulantur. Eſt autem talium & tempus & locus, præſens enim tempus copulatur ad præteritum & ad futurum. Rurſus locus continuorum eſt, locum enim quendam partes corporis obtinent, quæ ad communem terminum copulantur: ergò & loci partes, quæ obtinent ſingulas corporis partes, ad eundem communem terminum copulantur, ad quem & corporis partes: quapropter continuus erit & locus, ad vnum enim communem terminum eius partes copulantur.

Amplivs autem, alia quidẽ conſtant ex partibus quæ in eis ſunt poſitionem habentibus ad ſe inuicem, alia autem ex non habentibus poſitionem: vt lineæ quidem partes poſitionem habent ad ſe inuicem, ſingulæ namque earum ſitæ ſunt alicubi, & habeas vnde diſtinctè ſumas, & aſſignes vbi ſingulę ſitæ ſint in plano, & ad quam partem reliquarum copulantur: ſimiliter autem & partes plani poſitionem habent aliquam:

ſimiliter namque aſſignaretur vnaquæque vbi iacet, & quæ copulantur ad ſe inuicem: ſed & ſolidi partes ſimiliter, & loci. In numero autem non poterit quiſquam oſtendere quemadmodùm partes eius poſitionem aliquam habẽt ad ſe inuicem, aut vbi iacent, aut quæ partes ad ſe inuicem connectuntur. Neque eæ quæ temporis ſunt: nihil enim permanent partes temporis: quod autem non eſt permanens, quomodò poſitionem aliquam habebit? Sed magis ordinem quendam dices habere, eò quòd aliud quidem prius ſit temporis, aliud verò poſterius. Sed & in numero ſimiliter, eò quòd priùs numeratur vnus quàm duo, & duo quàm tria: & ſic habebunt aliquem ordinem, poſitionem verò non omnino accipies. Sed & oratio ſimiliter, nulla enim remanet partium, ſed dictum eſt ſimul, & non eſt hoc ampliùs aſſumere: quapropter non erit nulla poſitio partium eius, ſiquidem permanet. Igitur alia ex habentibus poſitionem partibus conſtant, alia ex non habentibus poſitionem

Proprie autem quanta hæc dicuntur ſola quæ dicta ſunt, alia verò omnia ſecundum accidens, ad hęc enim aſpicientes & alia dicimus quanta, vt multum dicitur album, eò quòd ſuperficies multa ſit, & actio longa, eò quòd tempus multum ſit, & motus multus. Neque enim horum ſingulum per ſe quantum dicitur: vt ſi quis aſſignet quanta actio eſt; tempore definiet annuam, vel ſic aliquo modo aſſignans & albũ quantum quid ſit aſſignans, ſuperficie definiet, quanta enim fuerit ſuperficies, tantum album eſſe diceret, quare ſola propriè ſecundum ſeipſa dicuntur quanta quæ dicta ſunt, aliorum verò nihil per ſe, ſed ſi fortè per accidens.

Amplius, quanto nihil eſt contrarium: in definitis enim manifeſtum eſt quòd nihil eſt contrarium, vt bicubito, vel tricubito, vel ſuperficiei, vel alicui talium, nihil enim illis eſt contrarium. Niſi quis fortè dicat multum pauco eſſe contrarium, vel magnum paruo. Horum autem nihil eſt quantum, ſed magis eorum quæ ſunt ad aliquid: nihil enim ipſum per ſeipſum magnum vel paruum dicitur, ſed eò quòd ad alterum refertur: vt mons quidem paruus dicitur, milium verò magnum, quòd hoc iis quæ ſunt ſui generis maius ſit; illud verò iis quæ ſui ſunt generis minus: ergo ad alterum eſt eorum relatio, nam ſi per ſeipſum magnum vel paruum diceretur, nunquam mons quidem aliquando paruus, milium verò magnum diceretur, rurſus in vico quidem plures homines eſſe dicemus, Athenis verò paucos, cùm ſint illis multò plures, &

in domo quidem multos, in theatro verò paucos, cùm ſint plures. Ampliùs, bicubitum quidem, & tricubitum, & vnumquodque talium quantum ſignificat, magnum verò vel paruum non ſignificat quantum, ſed magis ad aliquid, quoniam ad alterum conſideratur & magnum & paruum: quare manifeſtum eſt quòd ipſa ſunt eorum quæ ad aliquid. Ampliùs, ſiue aliquis ponat quanta eſſe hæc, ſiue non ponat, nihil eſt in illis contrarium: quod enim non poteſt ſumi per ſeipſum, ſed ad alterum refertur, quomodo huic aliquid erit contrarium? Ampliùs autem, ſi ſunt magnum & paruum cõtraria, continget idem ſimul cõtraria ſuſcipere, & ea ipſa ſibimet eſſe contraria: contingit enim ſimul idem paruum eſſe & magnum, eſt enim ad hoc quidem paruum ad aliud verò idipſum magnũ: quare idem & paruum & magnum eodem tempore eſſe contingit: quare ſimul contraria ſuſcipere. Sed nihil eſt, quod videatur ſimul contraria ſuſcipere poſſe, vt in ſubſtantia quidem: ſuſceptibilis enim contrariorum eſſe videtur, ſed nullus ſimul ſanus eſt, & æger, neque album & nigrum eſt ſimul: nihilque aliud ſimul contraria ſuſcipiet. Et eadem ſibiipſis contingit eſſe contraria: nam ſi eſt magnum paruo contrarium, ipſum autem idem ſimul eſt magnum & paruum, ipſum ſibi erit contrarium: ſed impoſſibile eſt aliquid ſibiipſi eſſe contrarium: non eſt igitur magnum paruo cõtrarium, neque multum pauco. Quare niſi & eorum, quæ ad aliquid hęc quis dicat, ſed quanti, nihil contrarium habebunt.

Maxime autem circa locũ eſſe videtur contrarietas quãti: ſurſum enim ei quod eſt deorſum contrarium ponunt, locum qui in medio eſt, deorſum dicentes, eò quòd plurima diſtantia eſt medij ad mundi terminos. Videntur autem & aliorum contrariorum ab his afferre definitionem: quę enim plurimùm à ſe inuicem diſtant, eorum quæ ſunt ſub eodem genere, contraria eſſe definiunt.

Non videtur autem quantum ſuſcipere magis & minus, vt bicubitum, neque enim alterum altero magis bicubitum: neque in numero, vt tria quàm quinque, nihil magis quinque aut tria dicuntur, neque quinque quàm tria: nec tempus alterum altero magis tempus dicitur, nec in nullo eorum, quæ dicta ſunt omnino, magis & minus dicitur. Quare quantum non ſuſcipit magis & minus.

Proprium autem maximè quanti eſt, quod æquale & inæquale dicitur. Vnumquodque enim eorum quæ dicta ſunt quantorum, æquale & inæquale dicitur: vt corpus,

æquale,& inæquale dicitur, & numerus & tempus æquale & inæquale dicitur: ſimiliter autem in aliis, quæ dicta ſunt, vnumquodque æquale & inæquale dicitur. In cæteris verò quæcunque quanta non ſunt, non prorſus videbitur æquale & inæquale dici: vt diſpoſitio æqualis & inæqualis non omnino dicitur. ſed magis ſimilis & diſſimilis, & album æquale & inæquale non omnino dicitur, ſed ſimile vel diſſimile. Quare quanti maximè ſit proprium æquale & inæquale dici.

De his, quæ Ad aliquid.

CAP. III.

AD ALIQVID verò talia dicuntur, quæcunque hæc ipſa quę ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum: vt maius hoc ipſum quod eſt alterius dicitur, aliquo enim maius dicitur, & duplum alterius dicitur hoc ipſum quod eſt, alicuius enim duplum dicitur: ſimiliter autem & alia, quæcunque huiuſmodi ſunt. At verò ſunt etiam & hæc ad aliquid, vt habitus, diſpoſitio, ſenſus, ſcientia, poſitio: hæc enim omnia quæ dicta ſunt, hoc ipſum quod ſunt, aliorũ eſſe dicuntur, vel quomodolibet alter ad alterum, & non aliud quiddam: habitus enim alicuius habitus eſſe dicitur, & ſcientia alicuius ſcientia, & poſitio alicuius poſitio, & alia quoque ſimiliter. Ad aliquid igitur ſunt, quæcũque hæc ipſa quę ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet alter ad alterum: vt mons magnus dicitur ad alterum (magnus enim mons dicitur ad aliquid) & ſimile alicui ſimile, & cætera talia ſimiliter ad aliquid dicuntur. Sunt autem & accubitus, & ſtatio & ſeſſio poſitiones quædam: poſitiones verò ad aliquid ſunt: iacēre autem & ſtare vel ſedere, ipſa quidem non ſunt poſitiones, denominatiuè verò dicuntur ab iis, quæ dictæ ſunt, poſitionibus.

INEST autem & contrarietas in iis, quæ ſunt ad aliquid: vt virtus vitio contrarium, cùm ſit vtrunque eorum vt aliquid, & ſcientia ignorantiæ. Non autem omnibus iis, quæ ſunt ad aliquid inſunt contraria: duplici enim nihil eſt contrarium, neque triplici, neque vlli talium.

VIDENTVR autem, & magis & minùs ea quæ ad aliquid ſunt: ſuſcipere: ſimile enim & diſſimile magis & minùs dicitur, & æquale & inęquale magis & minùs dicitur, cùm vtrunque ſit ad aliquid: ſimile enim alicuius ſimile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Non autem omnia quę ſunt ad aliquid ſuſcipiunt magis & minùs: duplum enim non dicitur magis

& minùs

& minùs duplum, nec aliquid talium.

Omnia autem quæ ſunt ad aliquid ad conuertentiam dicuntur: vt ſeruus domini ſeruus, & dominus ſerui dominus eſſe dicitur, & duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium, & maius minore maius, & minus maiore minus: ſimiliter autem & in aliis. Sed caſu aliquotiens different ſecundum locutionem, vt ſcientia ſcibilis ſcientia dicitur: & ſcibile ſcientia ſcibile, & ſenſus ſenſibilis ſenſus, & ſenſibile ſenſu ſenſibile. At verò aliquotiens non videbitur conuerti, niſi conuenienter ad quod dicitur aſſignetur, ſed peccet is qui aſſignat: vt ala ſi aſſignetur auis, non conuertitur vt ſit auis alæ, priùs enim conuenienter aſſignatum eſt ala auis, neque enim quatenùs auis eſt eatenùs ala ipſius dicitur, ſed eo quòd alata eſt, multorum enim & aliorum alæ ſunt quæ non ſunt aues. Quare ſi aſſignetur conuenienter, & conuertitur: vt ala alati ala eſt, & alatum ala, alatum. Aliquotiens autem fortè & nomen fingere neceſſe erit, ſi non fuerit nomen impoſitum ad quod conuenienter aſſignetur: vt temo ſi aſſignetur nauigij, non eſt aſſignatio conueniens, neque enim eo quòd nauigium eſt, eo ipſius temo dicitur, ſunt enim nauigia, quorum temones non ſunt, quare non conuertitur, nauigium enim non dicitur temonis nauigium. Sed fortè conuenientior aſſignatio erit, ſi ſic quodammodò aſſignetur, temo temonatæ rei temo eſt, aut quomodocunque aliter: nomen enim non eſt poſitum, & conuertitur ſi conuenienter aſſignetur, temonatum enim temone temonatum eſt. Similiter autem & in aliis, vt caput conuenientiùs aſſignabitur capitati caput, quàm ſi animalis aſſignetur: neque enim eo quòd eſt animal, caput habet, multa enim animalia ſunt capita non habentia. Sic autem fortaſſe facillimè quis ſumet, quibus poſita non ſunt nomina, ſi ab iis quæ prima ſunt, & iis ad quæ conuertuntur, nomina ponātur, vt in iis quæ prędicta ſunt, ab ala alatum, à temone temonatū. Omnia igitur quæ ad aliquid dicuntur, ſi conuenienter aſſignētur, ad cōuertentia dicūtur: quonrū ſi ad quodlibet aliud aſſignātur, & non ad id, ad quod dicuntur, non conuertuntur. Dico autem, quoniam neque eorum quæ in confeſſo ad conuertentia dicuntur, & nomina eis poſita ſunt, nihil conuertitur, ſi ad aliquid eorum quæ ſunt accidentia aſſignentur, & non ad id ad quod dicuntur: vt ſeruus, ſi non domini aſſignetur, ſed hominis vel bipedis, vel cuiuſcunque talium non conuertitur: neque enim dici poteſt homo eſt ſerui homo, non enim conueniens eſt aſſignatio.

Amplius, ſi quidem conuenienter aſſignetur ad quod dicitur omnibus aliis ſublatis, quæcunque accidentia ſunt: relicto autem ſolo illo, ad quod aſſignatum eſt conuenienter, ſemper ad ipſum dicetur: vt ſi ſeruus ad dominum dicitur, circumſcriptis omnibus quæ accidentia ſunt domino, vt eſſe bipedem, vel ſcientiæ ſuſceptibilem, vel hominem, relicto verò ſolo quod dominus eſt, ſemper ſeruus ad ipſum dicetur, ſeruus enim domini ſeruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id, ad quod dicitur aſſignetur, circunſcriptis omnibus aliis, relicto autem eo ſolo ad quod aſſignatum eſt, non dicetur ad ipſum: aſſignetur enim ſeruus hominis, & ala auis, & circunſcribatur ab homine eſſe dominum, non ſanè amplius ſeruus ad hominem dicetur, cùm enim Dominus non ſit, neque ſeruus eſt: ſimiliter & de aue, ſi adimitur eam alatam eſſe, non enim amplius erit ala ad aliquid, cùm enim non ſit alatum, nec ala erit alicuius. Quare oportet aſſignare ad id, ad quod conuenienter dicitur. Et ſi ſit nomen poſitum, facilis erit aſſignatio: ſi autem non ſit, fortaſſe neceſſarium erit nomen fingere: ſi autem ſic aſſignetur, manifeſtum eſt, quoniam omnia quę ad aliquid ſunt, ad conuertentia dicuntur.

VIDENTVR autem ipſa ad aliquid ſimul eſſe natura: & in plurimis quidem verum eſt, in aliquibus verò non verum: ſimul duplum & dimidium ſunt, & cùm ſit dimidium, duplum eſt, & cùm ſit dominus, ſeruus eſt, & cùm ſit ſeruus, Dominus eſt: ſimiliter autem his & alia. Simul autem hæc auferunt ſeſe inuicem: ſi enim non ſit duplum, non erit dimidium, & ſi non erit dimidium, non erit duplum: ſimiliter autem & in aliis, quæcunque talia ſunt. Non autem in omnibus his quę ad aliquid, verum videtur eſſe ſimul natura: ſcibile enim ſcientia prius videbitur eſſe, namque in pluribus præexiſtentibus rebus ſcientias accipimus: in paucis enim, vel nullo, quiſquam hoc perſpiciet ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam. Amplius, ſcibile ſublatum ſimul aufert ſcientiam, ſcientia verò ſimul non aufert ſcibile: nam ſi ſcibile non ſit, non erit ſcientia, nullius enim erit ſcientia: ſcientia verò ſi nõ ſit, nihil prohibet eſſe ſcibile; vt circuli quadratura ſi eſt ſcibilis, ſcientia quidem eius nondũ eſt, ipſa verò ſcibilis eſt. Amplius, animali quidem ſublato non erit ſcientia, ſcibiliũ verò plurima eſſe contingit. Similiter autẽ his ſeſe habẽt ea, quæ de ſenſu ſunt: ſenſibile enim prius quàm ſenſus eſſe videtur, ſublatum enim ſenſibile ſimul aufert ſenſum, ſenſus verò ſenſibile non ſimul aufert, ſenſus enim circa corpus & in corpore ſunt, ſenſibile

autem

autem ſublato, aufertur & corpus, ſenſibile enim corpus eſt, cùm autem corpus non ſit, aufertur & ſenſus; quare ſimul auſert ſenſibile ſenſum, ſenſus verò ſenſibile non ſimul aufert: ſublato enim animali, ſenſus quidē aufertur; ſenſibile autem erit corpus, vt calidum, dulce, amarum, & omnia alia quæcunque ſunt ſenſibilia. Ampliùs, ſenſus quidem ſimul cum ſenſitiuo ſit, ſimul enim ſit animal, & ſenſus, ſenſibile verò ante animal aut ſenſum eſt, ignis enim, & aqua, & alia huiuſmodi, ex quibus ipſum animal conſtat, antè ſunt quàm animal omnino ſit aut ſenſus, quare priùs ſenſibile quàm ſenſus eſſe videbitur.

Habet autem dubitationē, vtrùm nulla ſubſtantia ad aliquid dicatur, quēadmodùm videtur, ſi hoc cōtingat ſecundū quaſdā ſecundas ſubſtātias. Nam in primis ſubſtantiis verum eſt, nam neq; tota, neque partes primarū ſubſtantiarum dicuntur ad aliquid: nam quidā homo non dicitur alicuius quidam homo, neque quidam bos alicuius quidam bos. Similiter autem & partes: quædam enim manus non dicitur alicuius quædam manus, ſed alicuius manus, & quoddā caput non dicitur alicuius quoddā caput, ſed alicuius caput. Similiter autem & in ſecundis ſubſtantiis, atq; hoc quidem in pluribus; vt homo non dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos, nec lignum alicuius lignum, ſed alicuius poſſeſſio dicitur. In huiuſmodi ergo manifeſtum eſt, quoniam non ſunt ad aliquid.

In aliquibus verò ſecundis ſubſtantiis habet dubitationem: vt caput, alicuius caput dicitur, & manus, alicuius dicitur manus, & ſingula huiuſmodi; quare hæc fortaſſe ad aliquid eſſe videbuntur. Si igitur ſufficienter corū, quæ ſunt ad aliquid, deſinitio aſſignata eſt, aut omnino difficile, aut impoſſibile eſt oſtendere quòd nulla ſubſtantia eorum quæ ſunt ad aliquid dicitur: ſi autem non ſufficienter, ſed ſunt ad aliquid, quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliquid quodāmodò ſe habere, fortaſſe aliquid contra iſta dicetur. Prior verò definitio ſequitur quidē omnia ea quæ ſunt ad aliquid, non tñ in ipſis idem eſt, cùm eo quod eſt eſſe ad aliquid, ipſa quæ ſunt, aliorum dicantur. Ex his autem manifeſtum eſt, quòd ſi quis aliquid eorū, quæ ſunt ad aliquid, definitè ſciet, & illud ad quod dicitur, definitè ſciturus eſt. Manifeſtum igitur & ex ipſis eſt: ſi enim nouit aliquis hoc quod ad aliquid eſt (eſt autem eſſe iis, quæ ad aliquid ſunt, idē ac ad aliquid aliquo modo ſe habere) & illud nouit, ad quod hoc aliquomodò ſe habet: ſi enim non nouit omnino ad quod hoc aliquomodò ſe habet,

neque ſi aliquid hoc aliquo modo ſe habet, noſcet. Sed & in ſingulis palam hoc eſt: vt ſi quid nouit quis definitè, quod duplum eſt, & cuius duplum eſt, mox definitè nouit: ſi enim nullius definitorum nouit ipſum duplum eſſe, neque ſi ſit duplum omnino nouit. Similiter autem & hoc aliquid ſi nouit quis quod melius eſt, & quod melius eſt ſtatim definitè neceſſarium eſt noſſe. Propter hæc autem non indefinitè hoc cognoſcet, quòd hoc eſt peiore melius: ſuſpicio enim hæc eſt, non ſcientia: non enim adhuc ſciet exactè quòd eſt peiore melius: ſi enim ſic accidit nihil eſt deterius ipſo. Quapropter palàm eſt quod neceſſarium eſt, ſi nouerit quis aliquod relatiuorum definitè, & id ad quod definitè neceſſe eſt noſſe. Caput verò & manus, & eorum ſingula, quæ ſubſtantiæ ſunt, ea ipſa quæ ſunt ſciri definitè poſſunt: ad quod verò dicantur, non eſt neceſſarium ſcire: cuius enim hoc caput, vel cuius hæc manus ſit, non eſt ſcire definitè, quare non erunt hæc ad aliquid. Si verò non ſunt hæc eorum quæ ſunt ad aliquid, verum erit dicere quòd nulla ſubſtantia eorum eſt quæ ſunt ad aliquid. Fortaſſe autem difficile ſit de eiuſmodi rebus vehementer aſſerere, niſi ea ſæpè pertractata ſint: dubitaſſe autem de horum vnoquoque non eſt inutile.

De Qualitate & Quali.

CAP. IIII.

QVALITATEM verò dico, ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur. Eſt autem qualitas, eorum quæ multipliciter dicuntur.

1. VNA quidem igitur ſpecies qualitatis, habitus & diſpoſitio dicantur. Differt autem habitus à diſpoſitione, quòd permanentior, & diuturnior eſt. Tales verò ſunt ſcientiæ & virtutes. Scientia enim videtur eſſe permanentium, & diuturniorum: vt ſi quis vel mediocriter ſumat ſcientiam, niſi grandis permutatio facta ſit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo huiuſmodi: ſimiliter autem & virtus, vt iuſtitia, & temperantia, & ſingula talium non videntur poſſe facilè moueri, neque facilè permutari. Diſpoſitiones verò dicũtur, quæ ſunt facilè mobilia, & citò permutabilia, vt calor, & infrigidatio, & ægritudo, & ſanitas, & quęcunq; alia huiuſmodi: afficitur enim quodammodò ſecundum eas homo: citò autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex ſanitate in ægritudinem tranſit: ſimiliter autem & in aliis, niſi aliqua earundem contingit per temporis longitudinem congenita, & immobilis, vel omnino

diffici

difficilè mobilis exiſtens, quam iam quiſpiam vt habitum vocet. Manifeſtum eſt autem quòd hæc volunt habitus dicere, quæ ſunt diuturniora, & difficiliùs mobilia: namque diſciplinas non multùm retinentes, ſed facilè mobiles exiſtentes, non dicunt habitum habere, & tamen diſpoſiti ſunt aliquo modo ſecundum ſcientiam peiùs, meliúſque: quare differt habitus à diſpoſitione, quòd hæc quidem facilè mobilis ſit, illa verò diuturnior & difficiliùs mobilis. Sunt autem habitus & diſpoſitiones: diſpoſitiones verò non neceſſe eſt habitus eſſe: qui enim retinent habitum, & quodammodò diſpoſiti ſunt ſecundum ipſos: qui autem diſpoſiti ſunt, non omnino retinent habitum.

ALIVD verò genus qualitatis eſt, ſecundum quod pugillatores vel curſores, vel ſalubres vel inſalubres dicimus: & ſimpliciter quæcunque ſecundum potentiam naturalem vel impotentiam dicuntur. Non enim, quoniam ſunt diſpoſiti aliquo modo vnumquodque huiuſmodi dicitur: ſed quòd habent naturalem potentiam vel impotentiam facilè aliquid facere, vel nihil pati, vt pugillatores, vel curſores dicuntur, non quòd ſint diſpoſiti aliquo modo, ſed quòd habeant potentiam naturalem vel impotentiam aliquid facilè faciendi. Salubres autem dicuntur, eò quòd habeant potentiam naturalem, vt nihil à quibuſlibet accidentibus facilè patiantur: inſalubres verò, quòd impotentiam habeant naturalem nihil facilè à quibuſcunque accidentibus patiendi. Similiter autem his durum & molle ſe habent: durum enim dicitur, quod habeat potentiam non facilè ſecari: molle verò, quod eiuſdem ipſius habeat impotentiam. 2

TERTIVM verò genus qualitatis eſt, paſſibiles qualitates & paſſiones: ſunt autem huiuſmodi, vt dulcedo & amaritudo, & auſteritas, & omnia his cognata ampliùs, & calor, & frigus, & albedo, & nigredo. Quod quidem igitur & hæ qualitates ſunt, manifeſtum eſt, quæcunque enim has ſuſceperint, ipſa qualia dicũtur ſecundum ipſas: vt mel quoniam dulcedinem ſuſcepit, dicitur dulce, & corpus album, quoniam albedinem ſuſcepit, ſimiliter & in cæteris. Paſſibiles verò qualitates dicuntur, non quòd ea quæ illas ſuſceperint qualitates aliquid patiantur: neque enim mel, quoniam aliquid paſſum ſit, dicitur dulce, neque aliquid aliud huiuſmodi: ſimiliter autem his & calor & frigus paſſibiles qualitates dicuntur, non quòd ea quæ illas ſuſcipiunt, aliquid paſſa ſint, ſed quoniam ſecundum ſenſus vnaquæque dictarum qualitatum paſſionis 3

 eſſe

effectiua eſt,paſſibiles qualitates dicuntur:dulcedo enim paſſionem quandam ſecundum guſtum efficit,& calor ſecũdum tactum:ſimiliter autẽ & alia. Albedo autẽ,& nigredo,& cæteri colores non eodẽ modo iis,quę dicta ſunt,paſſibiles qualitates dicuntur, ſed eo quòd ipſæ ab aliqua paſſione innaſcuntur. Quòd enim fiunt propter aliquã paſſionem multę colorum mutationes manifeſtum eſt : erubeſcens enim aliquis, rubeus factus eſt:& timens pallidus, & vnumquodq; talium: quare etiã ſi quis natura aliquid talium accidentiũ perturbationũmve paſſus eſt,ſimilem colorem veriſimile eſt eũ habere: quæ enim affectio nunc in eo quòd verecundetur circa corpus facta eſt,etiam ſecundum naturalem conſtitutionem eadem fieri poteſt affectio,vt & naturalis color ſimilis ſit.

Qvaecvnqve igitur talium accidentium ab aliquibus paſſionibus difficilè mobilibus & permanentibus principium ſumpſerunt,paſſibiles qualitates dicuntur:ſiue enim ſecundũ naturalem conſtitutionẽ pallor fit aut nigredo,qualitates dicuntur(quales enim ſecundũ eas dicimur:)ſiue propter ægritudinem longam,vel propter æſtum eidem contigit nigredo, vel pallor,& non facilè prætereunt, vel etiam per vitam permanent, paſſibiles qualitates & ipſæ dicuntur:ſimiliter enim quales ſecundum eas dicimur. Quæcunque verò ex iis, quæ facilè ſoluuntur, & citò tranſeunt, fiunt, paſſiones dicuntur, qualitates verò minimè:non enim aliqui ſecundum ipſas dicuntur quales, neque enim qui propter verecundiam rubeus factus eſt, rubeus dicitur, neque cui pallor propter timorem venit,pallidus eſt:ſed magis eò quòd aliquid paſſus eſt:quare paſſiones quidem huiuſmodi dicuntur,qualitates verò minimè. Similiter autem his, & ſecũdum animam paſſibiles qualitates & paſſiones dicuntur:quæcũque enim mox in naſcendo ab aliquibus paſſionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur & ipſæ:vt amentia,mentis alienatio,& ira,& alia huiuſmodi:quales enim ſecundum eas dicũtur,id eſt, iracundi atque amentes, ſimiliter autem & quæcunque alienationes non naturales,ſed quæ ab aliquibus aliis accidentibus factæ ſunt difficilè prætereuntes,& omnino immobiles,qualitates ſunt etiam huiuſmodi : quales enim & ſecundum eas dicuntur. Quæcunque verò ab iis, quæ facilè & citò prætereunt, fiunt, paſſiones dicuntur,vt ſi quis contriſtatus iracundior fiat:non enim dicitur iracundus,qui huiuſmodi paſſionẽ iracundior eſt, ſed magis quia aliquid paſſus:quare paſſiones quidem huiuſmodi dicuntur,qualitates verò minimè.

QVARTVM verò genus qualitatis eſt figura,& circa vnumquodque conſtans forma:ampliùs autem ad hæc rectitudo,& curuitas,& ſi quid aliud his ſimile eſt:ſecundum enim vnumquodque eorũ quale quid dicitur,triangulum enim vel quadrangulum eſſe quale quid dicitur, & rectum aut curuum, & ſecundum etiam formam vnumquodque quale dicitur. Rarum verò & ſpiſſum, & aſperum & lene putabuntur quidem quale quid ſignificare, ſed aliena huiuſmodi putantur eſſe à diuiſione, quæ circa quale eſt: quandam enim poſitionem magis videtur partium vtrunque monſtrare:ſpiſſum enim dicitur,eò quòd partes ſibiipſis propinquæ ſint,rarum verò,eò quòd diſtent à ſe inuicem, & lene quidem,quod in rectitudinem aliquo modo partes iaceant, aſperum verò, quòd hæc quidem ſuperet illa verò ſit inferior.

FORTASSE quidem igitur alius quiſpiam modus apparuerit qualitatis:ſed ferè qui maximè dicuntur hi ſunt. Qualitates itaque ſunt,quæ dictæ ſunt. Qualia verò ſunt,quæ ſecundum has denominatiuè dicuntur,vel quomodolibet aliter ab his. In plurimis itaque & ferè in omnibus denominatiuè dicuntur: vt à candore candidus, & à Grammatica Grammaticus,& à iuſtitia iuſtus,ſimiliter & in aliis. In aliquibus verò, eò quòd non ſunt poſita qualitati nomina, non contingit ea, quæ dicuntur,ab iis denominatiuè dici: vt curſor,aut pugilator,qui ſecundum naturalem dicitur potentiam,à nulla qualitate denominatiuè dicitur:non enim poſita ſunt nomina potentiis,ſecundum quas iſti quales dicuntur, ſicuti diſciplinis, ſecundùm quas pugiles vel palæſtrici ſecundum diſpoſitionem dicuntur: pugillatoria enim & palæſtrica diſciplina dicitur: quales verò ab his denominatiuè dicuntur, qui diſponuntur. Aliquando autem & poſito nomine non dicitur denominatiuè, quod ſecundnm eam quale dicitur, vt à virtute ſtudioſus: eò enim quòd virtutem habeat, ſtudioſus dicitur; ſed non denominatiuè à virtute: non autem in pluribus hoc tale eſt. Qualia ergo dicuntur, quæ denominatiuè à dictis qualitatibus dicuntur,aut aliquo modo aliter ab eis.

INEST autẽ & contrarietas ſecundum qualitatem:vt iuſtitiæ iniuſtitia cõtraria eſt,& albedo nigredini,& alia:ſimiliter autem & ea quæ ſecundũ eas qualia dicuntur,vt iniuſtum iuſto & album nigro. Non in omnibus autẽ hoc accidit: rubro enim, aut pallido,aut huiuſmodi coloribus, nihil eſt contrarium,qualibus exiſtentibus. Ampliùs, ſi contrariorũ alterum fuerit quale,& reliquum erit quale. Hoc autem palàm eſt ex ſingu

ſingulis proponenti alia Prædicamenta, vt ſi ex iuſtitia iniuſtitiæ contrarium:quale autem eſt iuſtitia : quale igitur & iniuſtitia : nullum enim aliorum Prædicamentorum aptabitur iniuſtitiæ,neque quantum, neque ad aliquid, neque vbi, nec omnino aliquid huiuſmodi, niſi quale. Sic autem & in aliis, quæ ſecundum quale ſunt contraria.

Svscipivnt autem qualia magis & minùs : album enim magis & minùs album alterum altero dicitur:& iuſtum alterum altero,magis & minùs.Sed & ipſa intentionē ſuſcipiunt: cùm candidum namque ſit,contingit amplius cādidum fieri. Non tamen omnia,ſed plurima:iuſtitia namq; ſi dicatur magis & minùs iuſtitia,poteſt quilibet ambigere.Similiter autē & in aliis diſpoſitionibus : quidam enim dubitant de talibus. Iuſtitiam namque iuſtitia non omnino aiunt magis & minus debere dici,nec ſanitatem ſanitate:minùs autem habere alterum altero ſanitatem aiunt,& iuſtitiam alterum minus altero habere dicitur:ſic autem & Grammaticam,& alias diſpoſitiones.Sed tamen ea,quæ ſecundum eas dicuntur, indubitanter recipiunt magis & minùs : Grammaticior enim alter altero dicitur,& iuſtior & ſanior:ſic aútem & in aliis. Triāgulus verò & quadrangulus non videntur magis & minùs ſuſcipere, neq; aliqua aliarum figurarū : quæ enim definitionem trianguli recipiunt & circuli, omnia ſimiliter trianguli vel circuli ſunt:eorum autem,quæ non recipiunt rationem eandem,nihil magis alterum altero dicetur:nihil enim quadratum magis, quàm parte altera longius, circulus eſt : neque alterum enim recipit circuli rationem : ſimpliciter autem, ſi vtraque non recipiunt propoſiti rationem,non dicetur alterum altero magis:non ergo omnia qualia recipiunt magis & minùs.Horum itaque,quæ prædicta ſunt,nullū eſt proprium qualitatis.

Similia verò aut diſſimilia ſecundū ſolas dicuntur qualitates : ſimile enim & diſſimile alterum alteri non eſt ſecundum aliud,niſi ſecundum id quod quale eſt.Quare proprium eſt qualitatis ſecundum eam ſimile,vel diſſimile dici.

At verò non decet cōturbari,ne quis nos dicat de qualitate propoſitum facientes, multa eorum, quæ ſunt ad aliquid, connumeraſſe : habitus enim & diſpoſitiones eorum quæ ad aliquid ſunt eſſe dicebamus.Penè enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur,nihil autem eorum quæ ſunt ſingularia:nā cùm diſciplina genus ſit,idipſum quod eſt alterius dicitur,alicuius enim diſciplina dicitur:eorum verò quæ ſingularia ſunt,nihil ipſum quo ad alterius dicitur:vt Grammatica

matica non dicitur alicuius Grammatica, nec Muſica alicuius alterius Muſica. Sed fortè ſecundum genus & hæ ad aliquid dicuntur: vt Grammatica alicuius dicitur diſciplina non alicuius Grammatica, & Muſica alicuius diſciplina, non alicuius Muſica. Quapropter quæ ſingularia quidem ſunt, nõ ſunt ad aliquid. Dicimur autem quales ſecundum ſingula, hæc enim & habemus. Scientes enim dicimur, eò ꝙ habemus ſingularum ſcientiarum aliquas: quare hæ erunt etiam qualitates, quæ ſingulares ſunt, ſecundum quas aliquando & quales dicimur: hæ autem non ſunt eorum quæ ſunt ad aliquid. Ampliùs, ſi contingit idem ipſum & quale & ad aliquid eſſe, nihil eſt inconueniens in vtriſque hoc generibus enumerare.

De Agere & Pati.

CAP. V.

RECIPIT autem agere & pati contrarietatem & magis & minùs. Calefacere enim ei quod eſt frigefacere contrarium eſt, & calefieri ei quod eſt frigefieri, & delectari ei quod eſt contriſtari: quare ſuſcipiunt contrarietatem, & magis & minùs: eſt enim calefacere & magis & minùs, & calefieri magis & minùs, & triſtari magis & minùs: ſuſcipiunt igitur magis & minùs agere & pati. De his igitur tot dicuntur.

De Cæteris Prædicamentis.

CAP. VI.

DICTVM eſt & de eo, quod eſt ſitum eſſe, in iis quæ ſunt ad aliquid, quod denominatiuè à poſitionibus dicitur. De reliquis verò, id eſt, Quando, & Vbi, & Habere, propterea quòd manifeſta ſunt, nihil de ipſis aliud dicitur quàm quæ in principio dicta ſunt: quòd Habere quidem ſignificat calceatum eſſe, armatum eſſe: Vbi verò, vt in Lycio, in foro: & alia quæcunque de his dicta ſunt. Igitur de omnibus generibus, quæ propoſuimus, ſufficiunt quæ dicta ſunt.

TRACTATVS TERTIVS.

De Oppoſitis.

CAP. I.

DE Oppoſitis autem, quot modis ſolent opponi, dicendum eſt. Dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter, aut vt ea quæ ad aliquid, aut vt contraria, aut vt priuatio & habitus, aut vt affirmatio & negatio.

OPPONITVR autem vnumquodque iſtorum vt ſit figuratim dicere, tanquam ea quæ ad aliquid quidem, vt duplum dimidio: tanquam contraria, vt malum bono: tanquam autem ſecundum priuationem & habitum, vt cæcitas & viſio: tanquam verò affirmatio & negatio, vt ſedet, non ſedet.

QVAECVNQVE igitur ad aliquid opponuntur, ea ipſa quæ ſunt oppoſitorū dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ipſa: vt duplum dimidij, hoc ipſum quod eſt, alterius dicitur: alicuius enim duplum dicitur: & ſcientia ſcibili, tanquam ea quæ ſunt ad aliquid opponitur, & dicitur ſcientia ipſum, quod eſt ſcibilis: & ſcibile dicitur ipſum, quod eſt ad oppoſitum ad ſcientiam: ſcibile enim aliquo dicitur, ſcilicet ſcientia ſcibile. Quæcunque ergo oppoſita ſunt tanquam ad aliquid, ea ipſa quæ ſunt oppoſitorum, vel alio quolibet modo ad inuicem dicuntur.

ILLA verò, quæ opponuntur vt contraria, ea ipſa quidem, quæ ſunt, nullo modo ad ſe inuicē dicuntur, contraria tamen ſibi inuicē dicuntur: neq; enim bonum mali dicitur bonum, ſed contrarium, quæ differunt ab inuicem hæ oppoſitiones. Quæcunque verò contrariorum talia ſunt, vt in quibus nata ſunt fieri, & de quibus prædicantur, neceſſarium ſit alterum ipſorum ineſſe, horum nihil eſt medium, quorum verò non neceſſarium alterum ineſſe, horum omnino eſt aliquid medium.

dium. Vt ægritudo & ſanitas in corpore animalis nata ſunt fieri:& neceſſarium eſt alterum ipſorum ineſſe animalis corpori, vel ægritudinem, vel ſanitatem, & par quidem & impar de numero prædicantur:& neceſſe eſt horum alterum numero ineſſe vel par, ve impar;& non eſt horum aliquod medium, neque ægritudinis & ſanitatis, neq; imparis atque paris. Quorum autem non eſt neceſſarium alterum ineſſe, eorum eſt aliquod medium, vt nigrum & album in corpore animalis nata ſunt fieri, & non eſt neceſſarium alterum eorum ineſſe corpori:non enim omne corpus vel album vel nigrum eſt. Sed & prauum & ſtudioſum, prædicantur quidem de homine & de aliis compluribus: non eſt autem neceſſarium alterum eorum ineſſe iis, de quibus prædicantur, non enim omnia aut praua aut ſtudioſa ſunt, ſed eſt aliquid eorum medium: vt albi & nigri, fuſcum & pallidum, & quicunque alij colores, praui verò & ſtudioſi, quod neque prauum neque ſtudioſum eſt. In aliquibus igitur mediis poſita ſunt nomina, vt albi & nigri & fuſcum & pallidum, & quicunque alij huiuſmodi colores, in aliquibus verò non eſt nomine facili medium aſſignare: vtriuſque verò extremorum negatione medium definitur, vt quod neque bonum neque malum eſt, neque iuſtum neque iniuſtum.

Privatio verò & habitus dicuntur quidẽ circa idem aliquid, vt viſio & cæcitas circa oculum:vniuerſaliter autẽ dicere eſt in quo natus eſt habitus fieri, circa hoc dicitur vtrunq; eorum fieri. Priuari verò tunc dicimus vnumquodq; habitus ſuſceptibil ſi, quando in quo natum eſt ineſſe, vel quando illud natum eſt habere, nullomodo inſit:edentulum enim dicimus, non quod non habet dentes, & cæcũ, non quod non habet viſum, ſed quod non habet quando natum eſt habere:aliqua enim ex natiuitate, neq; dentes habent, neque viſum; ſed non dicuntur edentula, neq; cæca. Priuari verò & habere habitũ, non eſt priuatio & habitus:habitus enim viſus eſt, priuatio verò cæcitas: habere autem viſum, non eſt viſus, nec cæcum eſſe cæcitas, priuatio enim quædam eſt cæcitas, cæcum verò eſſe, priuari, non priuatio eſt. Ampliùs, ſi idem eſſet cæcitas & cæcum eſſe, vtraque de eodem prædicarentur, ſed cæcus quidem dicitur homo, cęcitas verò homo nullo modo dicitur. Opponi quidem etiam iſta videntur, priuari ſcilicet & habere habitum, quemadmodùm priuatio & habitus. Idem enim modus eſt oppoſitionis. Nam ſicut cæcitas viſui opponitur, ſic cæcum eſſe & viſum habere opponuntur. Non eſt

autem neque hoc quod ſub affirmatione & negatione eſt, affirmatio & negatio: affirmatio námq; oratio affirmatiua eſt, & negatio oratio negatiua: quod verò ſub affirmatione & negatione eſt, nulla eſt oratio ſed res. Dicuntur autem hæc eſſe oppoſita adinuicem tanquam affirmatio & negatio, nam & in his modus oppoſitionis idem eſt: ſicut enim affirmatio ad negationem opponitur, vt quod ſedet, ei quod non ſedet, ſic & res quæ ſub vtroque eſt opponitur, ſcilicet ſedere aliquem ad non ſedere. Quòd autem priuatio & habitus non opponuntur vt ad aliquid, manifeſtum eſt; non enim dicitur idipſum quod eſt oppoſiti; viſus enim non eſt cæcitatis viſus, non vllo alio modo ad ipſum dicitur, ſimiliter autem neque cæcitas viſionis cæcitas dicatur: ſed priuatio quidem viſionis dicitur, cæcitas verò viſionis non dicitur neque viſus cæcitatis. Ampliùs ad aliquid omnia ad conuertentia dicuntur: quare, ſi cæcitas eorum, quæ ad aliquid ſunt, eſſet, vtique & conuerteretur ad illud ad quod dicitur, ſed non conuertitur: non enim dicitur viſus cæcitatis viſus. Quòd autem neq; vt contraria opponuntur quæ ſecũdum priuationem & habitum dicuntur, ex his manifeſtũ eſt. Contrariorum enim, quorum nihil eſt mediũ, neceſſe eſt vel in quibus fieri nata ſunt, aut de quibus prædicantur, alterum ipſorum ineſſe ſemper: eorum enim nihil medium erat, quorum alterum ineſſe ſuſceptibili neceſſarium erat, vt in languore & ſanitate, & impari atque pari: quorum verò aliquid medium eſt, nunquã neceſſe eſt omni ineſſe alterum: neque enim neceſſe eſt omne ſuſceptibile vel candidum vel nigrum eſſe, neque frigidum vel calidum: horum enim medium aliquid nihil eſſe prohibet. Inſuper autem & horum erat aliquid medium; quorum alterum ineſſe ſuſceptibili non neceſſarium erat, præter illa, quibus vnum ineſt naturaliter, vt igni calidum eſſe, & niui candidum: in his enim determinatè neceſſarium alterum eſt ineſſe, & non vtrumuis contingit: non enim poſſibile eſt ignẽ frigidum eſſe, neq; niuem nigram, quare omni quidẽ ſuſceptibili non neceſſarium eſt alterum ipſorum ineſſe, ſed ſolis quibus natura vnũ ineſt: & his determinatè vnum non vtrumuis contingit. In priuatione autẽ & habitu neutrum eorum quæ dicta ſunt verum eſt: non enim ſemper alterum eorum ineſſe ſuſceptibili neceſſarium eſt: quod enim nondum natum eſt habere viſum, neque cæcum, neque viſum habens dicitur: quare non erunt hæc, vt ea contraria, quorum nihil eſt medium. Sed neque vt ea, quorum aliquid eſt medium: neceſſarium enim eſt ali

aliquando omni ſuſceptibili alterum eorum ineſſe: quando enim iam ad habendam viſionem natum fuerit, tunc aut cæcum, aut habens viſum dicetur. Et eorum non determinatè alterum, ſed vtrumuis contingit: non enim neceſſarium eſt, vel cæcum vel viſum habens eſſe, ſed vtrumuis contingit: in contrariis autem, quorum aliquid medium eſt, nunquam neceſſarium erat omni ſuſceptibili alterum ineſſe, ſed quibuſdam, & his determinatè vnum, & non vtrumuis contingit. Vnde palàm eſt quòd ſecūdum neutrum modorum tanquam contraria opponuntur ea, quæ ſecundum priuationem & habitum opponuntur.

Amplivs in contrariis quidē cùm ſit ſuſceptibile, ad inuicem mutationem fieri poſſibile eſt, niſi alicui vnum naturà ineſt, vt igni calidum: etenim ſanum poſſibile eſt languere, & candidum nigrum fieri, & calidum frigidum, & ex ſtudioſo prauum, & ex prauo ſtudioſum fieri poſſibile eſt: prauus enim ad meliores exercitationes deductus, & doctrinas (etſi ad modicum aliquid proficiat, vt melior ſit) ſi certè ſemel quamuis modicum incrementum ſumpſerit, palàm eſt: quia aut perfectè mutabitur, aut ſatis multum incrementum ſumet: ſemper enim benè mobilior ad virtutem fit, etiā quodcunque incremētum ſumpſerit à principio, quare etiam veriſimile eſt plenius eum ſumere incrementum, & hoc dum ſemper fit, perfectè in contrarium habitum reſtituetur, niſi fortè tēpore prohibeatur. Verùm in priuatione & habitu impoſſibile eſt adinuicem mutationem fieri: ex habitu enim in priuationem mutatio fit, à priuatione verò in habitum impoſſibile eſt: neque enim cæcus factus aliquis, rurſus vidit, neque cùm caluus fuerit, rurſus comatus factus eſt, neque cùm fuerit edentulus, dentes ei iterum orti ſunt.

Qvaecvnqve verò tāquam affirmatio & negatio opponuntur, palàm eſt quod nullo prædictorū modo opponuntur: in ſolis enim his neceſſarium eſt ſemper, hoc quidem eorum verum, illud autem falſum eſſe, neque enim in contrariis neceſſarium eſt ſemper alterum verum eſſe, alterum autem falſum: neque in iis, quæ ad aliquid ſunt: neque in habitu & priuatione, vt ſanitas & languor contraria ſunt, & neutrum horum neque verū, neque falſum eſt: ſimiliter autem & duplum & dimidium tanquā quæ ad aliquid oppoſita ſunt, & non eſt eorum neutrum, neque verum, neque falſum, ſed neque eā quæ ſecundum priuationem & habitum dicuntur, ſicut viſio & cæcitas. Omnino autem eorū quæ ſecundū nullā dicuntur

complexiõnem, nihil neque verum neque falſum eſt: omnia autem, quæ dicta ſunt, ſine complexione dicuntur. Veruntamen maximè tale hoc contingere videbitur in iis, quæ ſecundum complexionem contraria dicuntur: ſanum námque eſſe Socratem, ad, languere Socratem, contrarium eſt. Sed neque in his neceſſarium ſemper alterum verum eſſe, & alterum falſum: cùm enim Socrates ſit, aliud quidem verum, aliud autem falſum erit: cùm verò non ſit, ambo falſa ſunt, neque enim languere, neque ſanum eſſe verum eſt, cùm ipſe non ſit omnino Socrates. In priuatione verò & habitu cum non ſit omnino, neutrum verum eſt, cùm autem ſit, non ſemper alterum quidem verum erit, alterum autem falſum: habere námque viſum Socratem, ei quod eſt cæcum eſſe Socratem, opponitur, ſicut priuatio & habitus, & cùm ſit, non neceſſarium eſt alterum verum eſſe vel falſum: cùm enim nondum ſit natus habere, vtraque falſa ſunt, & cùm non ſit omnino Socrates, ſimiliter quoque falſa ſunt vtraque & viſum eum habere, & cæcum eum eſſe. In affirmatione verò & negatione ſemper ſiue ſit, ſiue non ſit, hoc quidem falſum erit, illud autem verum. Languere namque Socratem, & non lãguere Socratem, cùm ipſe ſit, palàm eſt quòd alterum eorum verum, alterum verò falſum eſt, & cùm non ſit ſimiliter: languere etenim cùm non ſit, falſum eſt, non languere autem, verum. Quare in his ſolis proprium erit ſemper, alterum eorum verum, alterum falſum eſſe, quæcunque tanquam affirmatio & negatio opponuntur.

CONTRARIVM autem bono quidem ex neceſſitate malũ eſt. Hoc autem per ſingulorum inductionem palàm eſt, vt ſanitati languor, & iuſtitiæ iniuſtitia, & fortitudini timiditas, ſimiliter autem & in aliis. Malo autem aliquando quidem bonum eſt contrarium, aliquando malum: defectui enim, cùm malum ſit, ſuperabundantia contraria eſt, cùm ſit etiam ipſa malum: ſimiliter autem & mediocritas, cùm vtique contraria ſit, bonum eſt. Sed in paucis quis tale hoc aſpiciet, in pluribus verò ſemper malo bonum contrarium eſt.

AMPLIVS contrariorũ non neceſſarium eſt ſi alterum ſit, & reliquum eſſe: ſanis námque omnibus, ſanitas quidem erit, languor verò nõ: ſimiliter autem albis omnibus, albedo quidem erit, nigredo verò non. Ampliùs, ſi ei quod eſt Socratem ſanum eſſe, Socratem languere, contrarium eſt, non cõtingit autem ſimul vtraque eidem ineſſe, non vtique cõtinget, cùm alterum contrariorum ſit, & reliquum eſſe: cùm enim ſit, Socratem

cratem ſanum eſſe,languere Socratem,non erit.

Palam verò eſt, quòd circa idem aut ſpecie, aut genere, nata ſunt fieri contraria. Languor námque & ſanitas in corpore animalis nata ſunt fieri:albedo autẽ & nigredo,ſimpliciter in corpore;iuſtitia verò & iniuſtitia in anima hominis.

Necessarium autem eſt omnia contraria vel in eodem genere eſſe, vel in contratiis generibus, vel ipſa genera eſſe: album enim & nigrum in eodem genere ſunt, color enim eorum genus eſt; iuſtitia verò & iniuſtitia in contratiis generibus;illius námque virtus genus eſt,huius autem vitium: bonum verò & malum non in genere ſunt, ſed ipſa ſunt genera aliquorum exiſtentia.

De Priori.

CAP. II.

Prius autem alterum altero dicitur quadrupliciter.Primò quidem & maximè propriè ſecundum tempus,ſecundum quod antiquius alterũ altero, & vetuſtius dicitur:in eo enim quòd tempus amplius eſt, & antiquius & vetuſtius dicitur. Secundò autem, quod non conuertitur ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam: vt vnum duobus prius eſt, duobus enim exiſtentibus, mox vnum eſſe conſequens eſt, vno verò exiſtente, duo eſſe non neceſſarium eſt: quare non conuertitur ab vno conſequentia,vt reliquum ſit. Prius autẽ illud eſſe videtur,à quo non conuertitur eius quod eſt eſſe cõſequentia. Tertiò verò ſecundum ordinem quẽdã prius dicitur, quemadmodùm & in ſcientiis,& in orationibus: nã in demõſtratiuis ſcientiis eſt prius & poſterius ordine, elemẽta enim priora ſunt ordine iis quæ deſcribuntur, ſed & in Grammatica elementa ſyllabis priora ſunt, & in orationibus ſimiliter proœmium narratione prius ordine eſt. Amplius præter ea quæ dicta ſunt quod melius & honorabilius eſt, prius natura eſſe videtur:conſueuerunt autem & multi honorabiliores & magis dilectos à ſe priores apud ſe dicere. Eſt quidem & penè alieniſſimus priorum hic modus: Modi igitur qui dicti ſunt de priore, ferè tot ſunt.

Videtur autẽ præter eos qui dicti ſunt,alter eſſe prioris modus:eorum enim quæ conuertuntur ſecundum eſſe conſequentiam,quod alteri quomodolibet cauſa eſt,conuenienter prius natura dici poſſit.Quòd verò quædam ſunt huiuſmodi,

palàm eſt:eſſe namque hominem ſecundum ipſius eſſe conſequentiam ad veram de ſe conuertitur orationem: nam ſi homo eſt, vera eſt oratio, qua dicimus quòd homo eſt: & conuertitur; nam ſi vera eſt oratio qua dicimus quòd homo eſt, eſt homo. Eſt autem vera oratio, nequaquam cauſa, vt ſit res, veruntamen res quodammodò cauſa videtur, vt ſit vera oratio: eò enim quòd res eſt, aut non eſt, vera oratio aut falſa dicitur. Quare ſecundum quinque modos prius alterum altero dici poteſt.

De Simul.

CAP. III.

SIMVL autem dicũtur ſimpliciter quidem & propriiſſimè, quorum generatio in eodem eſt tempore: neutrum enim eorum neque prius, neque poſterius eſt. Simul autem ſecundum tempus hæc dicuntur. Natura verò ſimul ſunt, quæcunque conuertuntur quidem ſecundum eius quod eſt eſſe conſequentiam: ſed nequaquam alterum alteri cauſa eſt vt ſit, vt in duplo & dimidio: conuertuntur etenim hæc: nam cùm duplum ſit, dimidium eſt, & cùm dimidium ſit, duplum eſt, ſed neutrum alteri cauſa eſt vt ſit.

DICVNTVR autem ſimul naturą, & quæ ex eodem genere è diuerſo abinuicem diuiduntur. E diuerſo autem diuidi ab inuicem dicuntur, quæ ſecundum eandem ſunt diuiſionem, vt volatile, greſſibili & aquatili: hęc enim ab inuicem è diuerſo diuiduntur, cùm ſint ex eodem genere: animal namque diuiditur in hæc, in volatile, greſſibile & aquatile, & nihil horum prius vel poſterius eſt, ſed ſimul hæc natura eſſe videntur. Diuiditur autem & vnumquodque horum in ſpecies rurſus, vt volatile, greſſibile & aquatile. Erunt ergo & illa ſimul natura, quæcunque ex eodem genere ſecundum eandẽ ſunt diuiſionem: genera verò ſpeciebus ſemper priora ſunt, neque enim conuertuntur ſecundum eius quod eſt eſſe conſequentiam, vt cùm quidem aquatile ſit, animal eſt, cùm verò ſit animal, non neceſſe eſt vt aquatile ſit. Simul ergo natura dicũtur, quæcunque quidem conuertuntur ſecundum eius quod eſt eſſe conſequentiam, ſed nequaquam alterum alteri vt ſit, cauſa eſt: & ea quæ ex eodem genere è diuerſo diuiduntur ab inuicem. Simpliciter autem ſimul ſunt, quorum generatio in eodem eſt tempore.

De Motu.

CAP. IIII.

Motvs autem ſpecies ſunt, generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, & ſecundum locum mutatio. Alij itaque motus palàm eſt quòd ab inuicem diuerſi ſunt: non enim eſt generatio corruptio, neque augmentum diminutio, neque ſecundum locum mutatio: ſimiliter autem & alij. In alteratione verò habet quandam dubitationem: ne ſit fortè neceſſarium, id quod alteratur, per aliquam reliquarum motionum alterari. Hoc autem non verum eſt: nam ſecundũ omnes penè paſſiones, aut complures, accidit nos alterari, nulla aliarum communicante motionum: nam neque augeri neceſſarium eſt quod per paſſionem mouetur, neque diminui: ſimiliter autem & in aliis. Quare alia præter alios motus erit alteratio: nam ſi eſſet eadem, oporteret id, quod alteratur, mox & augeri, vel minui, vel quandam aliarum motionum ſequi: ſed non neceſſe eſt. Similiter autem & quod augetur, aut alia aliqua mutatione mouetur, alterari oporteret: ſed ſunt quædam quæ augmentantur, quæ non alterantur: vt quadratum gnomone circumpoſito creuit quidem, alteratum verò nihil factum eſt: ſic & in aliis huiuſmodi. Quare alij motus ſunt ab inuicem.

Quadrati accretio, Gnomone circumpoſito.



Est autem ſimpliciter motui quidem quies contrarium, iis verò quæ per ſingula ſunt, & ſingula generationi qui-

dem corruptio contrarium, augmentationi verò diminutio, ſecundum locum mutationi ſecundum locum quies. Maximè autem videtur oppoſita eſſe ad contrarium locum mutatio, vt ei quæ inferiùs eſt, ea quæ ſuperiùs eſt, & ei quæ ſuperiùs eſt, ea quæ inferiùs eſt. Reliquo verò aſſignatorum motuum non facile eſt aſſignare, quid fortè eſt contrarium. Videtur autem nihil eſſe ei contrarium: niſi quis & in hoc ſecundum qualitatem quietem opponat, aut in contrarium qualitatis, mutationem: ſicut & in mutatione ſecundum locum, quietem ſecundum locum, aut in contrarium locum mutationem: eſt enim & alteratio mutatio ſecundum qualitatem, quapropter opponitur motui ſecundum qualitatem quies ſecundum qualitatem, aut in contrarium qualitatis mutatio; vt album fieri ad id quod nigrum eſt fieri: alteratur enim in contraria, qualis mutatione facta eſt.

De Habere.

CAP. V.

HABERE ſecundum plures modos dicitur. Aut enim vt habitum & diſpoſitionem, aut aliam aliquam qualitatem: dicimur enim diſciplinam aliquam, atque virtutem habere. Aut vt quantum, vt quam contingit aliquis habens magnitudinem: dicitur enim tricubitam habere magnitudinem vel quadricubitam. Aut vt ea quæ circa corpus ſunt, vt veſtimentum vel tunicam. Aut vt in parte, vt in manu annulum. Aut vt partem, vt manum vel pedem. Aut vt in vaſe, vt modius grana tritici, aut amphora vinum: vinum enim habere amphora dicitur, & modius grana tritici: hæc enim omnia habere dicuntur, vt in vaſe. Aut vt poſſeſſionem: habere enim domum & agrum dicimur. Dicitur autem & vir vxorem habere, & vxor virum. Sed qui nunc dictus eſt modus, alieniſſimus eſt eius quod eſt habere: nihil enim aliud vxorem habere ſignificamus, quàm quòd cohabitant. Fortè tamen & alij quidam eius quod eſt habere, apparebunt modi: ſed qui dici conſueuerunt, penè omnes enumerati ſunt.

***

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

204

RERVM QVÆ IN HAC INTRODVCTIONE EXPLICANTVR.

Literarum numeris ſubiectarum P. Principium, M. Medium, F. finem paginæ indicat.

A

Accidens quid & quotuplex. 171
Accidētia triapropoſitionum. 58 I
Adiacere, per ſe ſtare, ſignificare & connotare in quo differant. 27.f.
Aequipollentia, quid & de ea regula quadam. 64
Aequipollentiæ modalium regulæ. 73.m.f.
Affirmatio & negatio in hypotheticis quomodo dignoſcenda. 39
Alienatio quid. 57.p.
Ampliatio quid cōferat ad veritatem propoſitionum. 53.m.f.
Ampliatio quid. 53.f.
Ampliationis varij modi. 53.f.
De Ampliatione quatuor regulæ. 54. & 55.p.
Antecedens quid. 93.m.
Antecedens & conſequens quid in Enunciatione hypothetica. 36.p.
Appellatio quid, & de appellatione quadam regula. 58
Argumentantis ſeu diſputantis regula dua. 14.m.f.
Argumentandi modus in reſtrictione. 57.m.f.
Argumentandi modi in ampliatione. 55.56
Argumentandi modi per diuiſionem explicantur. 15. & 16
Argumentandi modi in terminis pertinentibus. 28.m. & 24
Argumentandi ratio in alienatione, diminutione & reſtrictione. 57.f.
Argumentatio quid. 93.p.
Argumentatio eſt præcipuum dialectica inſtrumentū. 17.p.
Argumentatio duplex, formalis, & materialis, & harum explicatio. 94
Argumentationis vitium vel rectitudo in quo maxime conſiſtit 18.p.m
Argumētationis ſpecies quadruplex 17.m
Argumentationis partes. 17.p
In Argumentatione maxime eſt obſeruandum, vt in argumentatione vnum ex altero vere inferatur. 17.f. 18.p.
Ariſtotelis doctrina de oppoſitione & æquipollentia modalium.

77.f.78.79.

Ars quid, & in quem finem inuenta. 6.m.

Aſcenſus & deſcenſus popoſitionum quid. 46. & fuſe explicantur. 47.

C

Categorematicus terminus ſubdiuiditur in communem & ſingularem. 25.f & ſubdiuiſionis membra definiuntur. 26 p.m.

Categorematici termini diuiſio. 25 m.

Cauſarum quatuor genera. 10.p.

Cognitio duplex cuique ſigno reſpondet. 22.f

Conceptus vltimatus & non vltimatus quid. 22.p.m.

Concludendi modi ſex. 113

Connotatiuum duplex. 27.m.

Conſequens quid. 93.m.

Conſequentiæ bonæ regulæ generales 95 f. 96 per totā. 97.p.

Contingentis ſpecialiter ſumpti natura 84.f.

Conuerſio Enunciationum modalium, aduerbialium. 83.p.m.

Conuerſio propoſitionum quid, & eius tres ſpecies quæ explicantur. 65.66.

Conuerſionum regulæ. 66 m f.

Copula quid. 31.f.

D

Definitio quid & quotuplex. 8.

Definitio triplex. & ſingula mēbra explicantur. 9.10.

Definitionis bonæ leges, & modus argumentandi circa ipſam definitionem. 11.12.

Dialectica vnde dicta. 5.f.

Dialecticæ neceſſitas, materia finis, & officium. 6.m.f & 7. per totam.

Dialecticæ vſus. 5.p.

Dici de omni & dici de nullo 201.p m.

Differentia fuſe definitur & diuiditur. 167.168.164.

Diminutio quid. 57.m.

Diſputare verbum vnde ducat analogiam. 18.f.

Diſputationis vſus & finis. 18.f.

Diuiſio quid & quotuplex. 13. m f.14.

Diuiſionis præcepta quatuor. 14.& 15

E

Enthymema eſt ſyllogiſmus truncatus. 17.f.

Enthymema, Inductio & exemplum explicantur. 124

Enunciatio hypothetica quid, & quot eius ſint ſpecies. p.35. & 36

Enunciatio quotuplex. 31.m.& aliæ diuiſiones eiuſdem. 33

Enunciatio quid. 31.m.

Enūciatio ſimplex ex quibus partibus conſtet. 29.f.

In Enunciatione quatuor ſpectantur, Materia, forma, qualitas & quantitas. & horum ſingula explicantur. 32 & ſeq.

Enunciationes de contingenti ſpecialiter ſumpto. 83.f.

Enūciationum exponibilium explicatio. 85.

Exceptiuarum Enunciationum explicatio, & earum reſolutio per tres exponentes. 88.f.& per

per duas tantum exponentes. 89. & de eiſdem vocabula artis ibidem.
Excluſiuarum Enunciationum de ſubiecto quadruplex differentia. 86
Excluſiuarum Enunciationum oppoſitio 86.f.89
Exemplum quid. 17.f.
Exponibilium natura, & earum fuſa explicatio. 85.

F

Fallaciæ aliæ in dictione, aliæ extra dictionem, & harum ſpecies explicantur à pag. 150 ad finẽ vſque operis.
Fallacia quid, & quæ ad eam cõcurrunt. 149
Figuræ ſecundæ regulæ & eius modi & eorum appellatio. 104. 105. figuræ tertiæ modi & eorum appellatio & modus concludendi. 105. 106
Figuræ Syllogiſmorum tres. & earum regulæ generales. 99. 100. p. Primæ figuræ modi perfecti & earum appellatio 100. & 101. p. m & de indirecte concludẽtibus 102. & de illis regulæ ibidem & ſeq.

G

Generis explicatio. 162. 163

H

Hypothetica Enũciationis accidentia. 37. & 38

I

Inductio quid. 17.f.

L

Locus à cauſis. ab efficiente. 136 à materiali. 137. à formali 138 à finali. 139. Locus à generatione & corruptione ab vſu. 140. à communiter accidentibus, ibidem. Ab oppoſitis & diſparatis. 141. a maiori 142. a minori. à ſimili, 143. à Tranſmutatione, Ab authoritate, à Tranſumptione. 144
Locus differentiæ maxima quid & quotuplex. 124
Locus intrinſecus, eius ſpecies, quæ & explicantur. 130. 131
Locus quid & quotuplex. 128
Locus à concomitantibus ſubſtantiam, locus de toto. 131 f.
Loci medij. à Coniugatis, A caſibus. à Comparatione, ab oppoſitione. 146
Logica nomen à dialectica non diſcernitur. 6 p.

M

Materia Enunciationis triplex. 32 m.
Medium Syllogiſmi quid. 98 m.
Medium ad concludendum quomodo inueniatur 111 f 112 & eius vocabula artis. 115

Mentalis terminus duplex. 21 f.
Meta ad quas reuocare conantur ſophiſtæ. 147.148.149
Modalis enunciatio quid. 67. f.
Modalis enunciatio diuiſa & compoſita. 69
Modales de modo aduerbiali, & modorium aduerbialium diuiſio. 81
Modalium æquipollentia explicatur. 72.73
Modus quid & quotuplex. 67. f. 68. p.
Modi de contingenti Duplex ſignificatio.
Modi conſtitutio in Enunciatione. 69 p.
Modorum aduerbialium cognitio quid conferat. 83 f.
Modorum conſtitutionis diſcrimen. 69. p.

N

NOmen rei & definitio in quo differant. 9 p.
Nomen rei quodnam ſit prius in omni diſciplina inquirendum. 5 f.
Nota illatio nis quid. 93

O

OPpoſitarũ Enunciationum leges. 63
Oppoſitio propoſitionum quadruplex. 59 f
Oppoſitio Enunciationum modalium. 76
Oppoſitionis Aduerbialium modalium inuentio. 82 f.
Oppoſitionis modalium regula ex doctrina Ariſtotelis. 80. per totam paginam.
Oppoſitionis Excluſiuarum Enunciationum inuentio. 87. f.
Oppoſitionis modalium regulæ. 77. p.
Oppoſitionum regula. 60. *per totam & 61. per totam*
Oratio quid & quotuplex 3. 1. p m.

P

PRadicatum quid. 21 m.
Propoſitio quid. 21. p.
Propoſitio de ſecundo & tertio ineſſe quid 32
Propoſitiones de comparatiuo & ſuperlatiuo & earum natura, 21 f. 22
Propriorum quatuor genera aſſignantur, 170. m f.

Q

QVantitas enũciationis explicatur & diuiditur. 34 & 35
Qualitas & quantitas Enunciationum modalium explicatur. 70.71.72

R

REductio Syllogiſmorum imperfectorum ad perfectos. 106 f. 107. *reductio duplex & vtriuſque vſus. & modus quo ſingulæ reductiones fiant imperfectorum Syllogiſmorum ad perfectos.* 108.109.110

Redu

Reduplicatiuarum explicatio; & earum ſigna f. 89. & earum reſolutio. 90. p. m.
Regulæ cõmunes omnibus diſputantibus diligenter obſeruandæ. 19. p.
Regulæ indicantes ſuppoſitionem rationeſignorum. 44 45
Relatiuorum reſolutio explicatur 51. 52. & 53. p.
Reſolutio terminorum ſuppoſitionis. 46. p.
Reſolutio in completa explicatur. 50.
De Reſolutionis ordine regulæ. 48. 49.
Reſpondentis regulæ quatuor 19 f. 20. per totam paginam.
Reſtrictio quid, & quatuor eius modi. 56 f.

S

Significare apud logicos quid. 22. f.
Signum quid. 22 f.
Signum duplex naturale & voluntarium. 22 f 23. p.
Signa alia vniuerſalia, alia particularia & alia media. 43 f.
Signorum quæ inucta propoſitionibus earum ſuppoſitionem variant diſtinctio & natura. 43.
Similitudo propoſitionum in quo conſiſtat. 94 f.
Species diuiditur & defuntur. 163. 164. 165. 166.
Stoici duas faciuntlogicæ partes, alteram inueniendi, alteram diſponendi. 5. f. 6 p.
Subiectum quid. 21. m.
Suppoſitio quid & quotuplex: eiuſque membra explicantur & ſubdiuiduntur. 40. 41. 42. 43.
Syllogiſmus quid. 17. m.
Syllogiſmus modalis explicatur. 120. 121.
Syllogiſmus hypotheticus. 122. 123.
Syllogiſmus quid. & eius partes. 97. f. propoſitiones duæ. 98. p.
Syllogiſmus expoſitorius. 117.
Syllogiſmorum duplex inferendi modus. 98. m. & eorum explicatio Ibidem.
Syllogiſmorum diuiſio in demonſtratiuum nec non etiam. Topicum & Sophiſticum & ſingularum ſpecierum explicatio. 126. 127
Syllogiſmorum poteſtates & defectus. 118. 119
Tempora ſecundum quæ termini ampliantur apud dialecticos ſunt quinque. 54 m.
Terminus vocalis duplex. 22. m
Terminus triplex mentalis, vocalis & ſcriptus. 21. m
Terminus vltimatus quid. 22 p.
Terminus quid 21. p.
Terminus vocalis ſignificatiuus triplex 23. f & diuiſionis membra definiuntur. 24
Terminus diuiditur in terminum primæ intentionis, & terminum ſecundæ intentionis. 27. f.
Terminorum diuiſio in Categorematicum, ſincategorematicum, & mixtum. 25. p.
Terminorum vt inuicem comparantur ſpecies 28. p.

Terminorum categorematicorum & incomplexorum diuiſio. 26. 27.

De toto vniuerſali 132. de toto in quantitate, ibidem f. de toto integrali. 133. f. de toto in modo, 134. in loco, in tempore. 135.

V

Verbum tria habet conſideranda. 30. m

Verbum quid. 30. p.

Verbum in enunciatione aliud dicitur principale aliud minus principale. 32. f.

Verbum infinitari quid. 30. f.

Verba tria exponibilia, differt, aliud & diuerſum, 90. f. & huiuſmodi propoſitionum duplex ſpecies. ibid. & ſequent.

Veritas & falſitas quid in Enunciatione hypothetica. 36. m

Verſus reſolutionis ordinem complectentes. 49. f.

Verſus artificioſe complectentes modos trium figurarum. 101. m. & quid in iis obſeruandum. ibidem. f.

Verſus conuerſionum rationem exprimentes. 66 m.

Vitium ſyllogiſmi duplex. 146

Vocabula artis excluſiuarum Enunciationum reſolutionem denotantia. 87. p.

Vocabula æquipollẽtiam modalium enunciationum indicantia. 75. p.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

P

...URIA A. PANDIMIGLIO - ROMA - LE...